

22

PATROCINIUM VERITATIS

Literarum Torunensium,
ad Conventum
Szrodensem & Proszoviensem
scriptarum:

AD
SENATORES
EQUITESQUE
REGNI POLONIÆ
directum.

C O N T R A
*injuriosam & calumniosam Jesuita
cujusdam Anonymi*

ORATIONEM. prost. ad eph. in Collectaneis ad
Historiam Culicayt. Polono-Prussicam Speciebus in quarto P. V. t. 5.

¶. (*) 30

Germanicam versionem huius scripti prope in Collect. Polono-Prussico. Tomo V.
Polonica ad eph. in Collect. ad Hist. Cul. Speciebus P. I. n. 22. in 4

n. 21.

176. 16.

EXXIV.141

ILLOSTRISMI, ILLUSTRES, MAGNIFICI
ac Generosi Domini Senatores & Equites Regni Polonie
Incidi nuper in Orationem cuiusdam Jesuite anonymi, tam Latino
quam Germanico idiomaticis typis excusam, quam scopticè & acerbissime,
more sue Sectæ hominibus usitato, Literas Torunensium ad Conventum
tam Szrodensem quam Proszovensem occasione Jesuitarum scriptas per-
stringens, triumphum ante vitoriam cecinisse mihi videtur: Quam cum
à Torunensibus refutata esse non animadvertissem, procul omni dubio
ex his rationibus, tum quod existimant, calumnias etiam perfidissimæ
frontis non esse tanit, ut existimationi ipsorum honestæ, quæ toti inclite
Reipubl. Polonæ, de qua cum Antecessoribus suis optimè meriti sunt,
obscura non essem, quamvis eam Jesuita suspectam reddere conatur, quic-
quam præjudicare possint; tum quod cum hujusmodi levis armatura ho-
minibus, qui dicacitate sua & scribendi cacoëthe impulsi, nec Unctis DO-
MINI pepercerunt, neq; eos ab intemperantia linguae sua liberos esse pas-
si sunt, in arenam descendere, res ipsis ingloria visa essem. Sat
quidem hærationes ipsorum mihi prægnantes sunt; verum cum ex alte-
ra parte calumniae ita soleant esse tenaces, ut semper aliquid hæreat, non
potui facere, quin apud Illustrem Senatorium & Equestrem Ordinem
me pro Torunensibus quasi defensorem & intercessorem caussæ sisterem,
& hoc ostenderem plenaq; fide testatum facerem, nihil esse in Literis To-
runensium ad Conventum Szroden. & Proszovien. prescriptum, quod
non evidenter & ad oculum demonstrari posse: Quo demonstrato,
spero Vos, Senatores Equitesq; Poloni, justitiae & aequitatis observan-
tissimos, non passuros, ut Torunenses à Patrocinio vestro deserti esse
videantur.

Vicio vertit Jesuita Torunensibus, quod querelas suas
contra Jesuitas ad Judicium Ordinarium non detulerint.
Salsè videtur Vos, inclite flos Poloniae, irridere, eo quod judicandi
Vobis de Jesuitis potestatem faciat, à quorum jurisdictione se remotissimos esse gloriatur. Equis hanc mihi fidem faciet, Jesuitas
tam demissi spiritus & tam observantes Secularis Magistratus un-
quam fuisse, ut ejus jurisdictionem recognoscant? Quænam caussa in

Polonia agitata fuit unquam, in qua Jesuitæ Rei fuerint? Fucum faciunt boni isti homines palpumq; vobis obrudunt, seq; quasi cauſæ suæ non diffidentes, simulant Judicium Ordinarium non declinare, cùm, si mentem suam exclusis omnibus æquivocationibus candidè explicare vellent, maximè ubi Judicis præoccupati copiam sibi defuturam suspicarentur, aliud essent testaturi. Quem itaq; Judicem vobis, Torunenses, in Polonia ostendet Jesuita? Secularemne? Vix puto, cùm à Magistratus Secularis jurisdictione exempti esse omnino velint & omnibus viribus enitantur. Spiritualemne? Tanta est Jesuitici spiritus arrogantia & fastus, tanta sunt eorundem animi supercilie, ut nec Illustrissimi ArchiEpiscopi Gnesnensis, Legari Nati & Primi Principis Poloniae fasces Ecclesiasticos Jesuitæ reformident, cùm eam de se opinionem omnibus inesse cupiant, Ordinem suum ejus esse præminentia, non ut pareat sed imperet; non ut metuat sed metuatur; non ut gratiam alterius Ordinis aucupetur, sed ut operâ ipsius omnes promoteantur; maximè, cùm se de Romano Pontifice præ cæteris benè meritos, ipsiusq; brachio satis suffulcos esse sibi imaginentur. Ad quemnam Judicem remittere vos Jesuita? ad Provincialem suum, aut Generalem Romæ degentem, vel ad Papam? Si tenax est suorum Privilegiorum, procul dubio nullius alterius Jurisdictioni se subjicit; & si velit, non potest, cùm Jura Pontificia ne cæteris quidem Clericis hoc concedant, ut in Judicem suo Ordini incompetentem, maximè in Secularem, in personalibus consentiant, & si consentiant, expresse docent, rem totam nullitatis virtutio subjacere. At si vobis Thorunensibus litigandum esset cum Jesuitis coram Provinciali, quid aliud vobis expectandum foret, quam Eum ipsum Judicem, & Reum & Judicem futurum? Cornix autem Cornici oculos effodere non consuevit. Quid si coram Generali? Aqua-Viva in aquam mortis vobis converteretur. Quid si coram Pontifice Maximo? Si Angelus de cælis vestram cauſam ageret, non puto illum quicquam ibidem profecturum. An nescitis, Bellarminum esse Cardinalem hujus Ordinis Socium? An nescitis, Aqua-Vivam Generalem Jesuitarum ibidem Consistorio Pontis

Pontificis, immo ejusdem scrinio pectoris, adherere? An ignoratis, singulis diebus Viridium, fulmen brutum contra omnes Euangelicos ibi- dem decerni? Cum itaq; Jesuita forum in Polonia non habeant, nisi forte Provinciale suum Monachum pro Judice nobis obtrudant, quid aliud Torunensibus faciendum erat, quam ut ad Sacram Regiam Majestatem Dominum nostrum Clementissimum, itemq; ad Status & Ordines Regni precibus, ubi ordinarium defecit remedium, con- fuderent: Privilegia & Jura sua ab hominibus exoticis, ex Gallia relegatis, & Transylvaniâ ejectis, ac in Poloniam transfugis, qui infelicissimo omni semen suum Jesuiticum in Polonia sparserunt, vio- lari, pacemq; publicam turbari conquererentur? At tanta est viru- lenta & impotenta animi Jesuici, ut concusis Jurum Torunen- sis competentium, quantum in ipsis fuit, fundamentis, illis ne statum quidem suum satis afflictum deplorare, eorumq; qui custodes legum sunt & esse debent, patrocinium implorare permittant.

At quiritamini, Jesuitæ, vobis absentibus Literas Torunen- sium in prædictis Conventibus lectas esse. Quid tum? mo- dò vera sint, quæ scripta sunt, quæq; de vobis totus Orbis Christianus prædicat, quæq; vera esse, exemplis luculentissimis comprobasti, ita ut vestræ æquivocationes, quarum studium vobis est commendatissi- mum, lucem criminibus, à vestri Ordinis hominibus perpetratis, intercipere nullo modo possint, nisi quis in media luce palpitare & ca- cutire in gratiam vestri malit. Id quod Torunensibus impu- tatis, ipsi committitis. Nonne in Comitiis Regni canum ven- sicorum more omnes angulos Civitatis, in qua Comitia Regni cele- brantur, oberratis, nihil aliud agentes, quam ut incitetis eos, qui ve- strarum partium sunt, ad ægrè faciendum Euangelicis, qui, cum su- surros vestros non audiant, illis resistere & innocentiam suam defen- dere nequeunt? Nonne odio Torunensium ad Conventus particu- lares Emissarios vestros ablegare consuevistis, qui clam negotium ve- strum egerunt? Quam candidè intervertere conati sitis omnia Jura & Privilegia Torunensium per Constitutionem Jesuiticam, vobis au- thoribus vestroq; stylo conceptam, dicerem, nè vafricies vestra in obti-

nenda ista Constitutione omnibus, etiam Catholicis, abundè nota es-
set: De vobis meliori fide & saniore conscientia dici potest, quod
Torunensibus impingitis, quod præsentibus vobis Accusatoribus, ab-
sentibus Torunensibus, licitum fuit, quæ voluistis, dicere, & illis non
licitum fuit sese defendere. Accusatæ ergo vosmetipſos injusti-
tia, qui nihil apertè, nihil candidè & sincerè agitis, sed mala fide &
absq[ue] ulla justo titulo, cum incommodo aliorum, ad eam, in qua nunc
estis, ambitionis & malitiosæ proterviae & univ[er] excrevistis, quam in-
frà, Deo juvante, pleniùs sum ostensurus. Candidius vobis-
cum egerunt Torunenses, qui Literas suas in aperta luce hominum
collocari voluerunt, ut, quid de vobis conquerantur, ad vestram no-
ticiam deferretur. At Jesuita instat, nemini hactenus in
Polonia jus defuisse: Cur itaq[ue] Judicio Torunenses non
contenderunt? Sic es; non puto defuisse, præterquam contra
Jesuitas, non quod Judices desint justitia observantissimi, sed quod
contra Jesuitas nullum in Polonia Judicium fundatum sit, nec illi
Judicium ullum agnoscant. Jesuitis quidem, ut Actoribus, memini
jus dictum esse plus quam satis: at contra Jesuitas ut Reos decre-
tum ullum latum esse non memini, nec ex relatione aliorum audi vi:
ac propterea rectè gloriatur Jesuita, suis hominibus in Polonia nun-
quam jus defuisse. Concludit, Thorunenses non accusare sed
calumniari voluisse, quod an ita se habeat, series orationis hujus
meæ ulterius docebit.

Quid autem fuit cauſæ, Viri amplissimi, Vos Torunenses ap-
pello, quod tam importuno tempore, Republicæ negotiis consecrato,
Literis vestris Inclytos Ordines Majoris & Minoris Poloniae de ab-
rogando Jesuitarum eorundemq[ue] Scholarium cœtu solicitare vos coë-
git? Videor mihi, etiam vobis tacentibus, cauſam videre, quæ vos
impulit. Non obscurum quidem fuit vobis, Conventus ob solutio-
nem Confœderato Militi faciendam à Sacra Regia Majestate indi-
ctos fuisse; verum Jesitarum practicas artes & de facto suscepitos
in turbanda Civitate vestra progressus non inferiores esse Confœdera-
torum pressuris, paremq[ue] horum esse conditionem judicasti, cùm Ignati

tiani Sacerdotes ex fonte Confœderatorum Militum ebullierint, &
iisdem ferè legibus teneantur, nisi quod illi fraudibus, quas illi pias
vocant, in possessiones ad se non pertinentes se ingerant, easdem occu-
pent, & occupatas sui juris suiq. Collegij per fas & nefas faciant; hi au-
tem vi quadam & aperto Marte rem suam aggrediantur. Quinimò
dicere ausim bona pace vestra, sanores fuisse Confœderatos Jesuitis.
Illi enim bono titulo solutionem expetiverunt: interim in commeatu,
licet modum in eo excesserint, acquieverunt, eo nomine cum subditis
Regis transegerunt, dato commeatu benefactores suos ab injuriis
vindicarunt: solutione expedita pacificè discesserunt. At Je-
suitæ longè deterioris sunt frontis; gloriantur quidem, se à Parocho

Torunensi pro Cooperariis ascitos esse: Verùm siccine cum ingenio
cooperiorum comparatum esse debet, ut illi postmodum benefacto-
rem suum ex ædibus Parochialibus excludant, sedemq. Parochi, etiam
contranitente Parocho, sibi ascribant? digni sanè, quibus stigma in-
grati Cuculi inureretur. Hoccine cooperiorum est officium,
ut veros Patronos Templi, qui, amplissima dote Templo ejusdemq.
Sacerdotibus assignata, à Divis Poloniae Regibus Ius Patronatus
sibi justo legitimoq. titulo acquisiverunt, Jure Patronatus exuant?
Ea, quæ Templo collata sunt, unà cum Templo, exclusis antiquis
possessoribus, Ordini suo incorporata esse velint, Transactionemq. cum
loci Ordinario & Parocho initam, irritam facere constituant, Civita-
tis res turbent, & extremam perniciem Eidem minentur? Apage
istos cooperarios.

Nunc judica Censor Romane, Jesuita, an
non in tempore Torunenses, qui vestrum Ordinem pari cum Confœ-
deratis militibus lance ponderarunt, Illustri Senatui & Equitibus
Majoris & Minoris Poloniae pressuras suas ad animum revocarint?
& ad minimum se ab utroq. tam Confœderato quam Ignatiano mili-
te, sanguinaria consilia spirante, liberari precibus suis contenderint?
Verùm accidit vobis, Torunenses, ut res etiam optimè cogitata vo-
bis non feliciter cadat, secundum illud: Si bonus interpres, quid
mala caufsa nocet? Si malus interpres, quid bona caufsa
juvat? Jesuita aliam de vobis, importunè quasi quiritantibus, &
de omni-

de omnibus Euangelicis concepit existimationem. Sic enim
inquit: Nihil vos fecisse ab ingenio & consuetudine ve-
stra alienum. Solenne enim esse hominibus, qui Euangeli-
ci vocari quam esse malunt, ut cum Rempublicam maximè
laborare intelligent, tum potissimum res suas stabiliant,
tempusq; quo de publicis negotiis agi debet, & de quo ni-
hil detrahi convenit, ad se transferant; quodq; jure non
possunt, per importunitatem quandam obtinere nitantur.

Hucusq; Jesuita. Ah! si tibi mens non lœva fuisset, si consciencie
vel micam haberet, Jesuita, aliter de Euangelicis, sub pressura
vestra vix hiscentibus, sentires.

Vestri Ordinis hi fructus esse in
toto Orbe Christiano censentur. Ne autem ex Tripode Apollinis hi-
storias, quasi longè petitas, de vestro Ordine atulisse videar, acqui-
escam in illis, quas paucorum annorum, inò paucorum dierum, histo-
ria dictat.

Quis Vilnae tūm cum S. R. Majestas esset in Ca-
stris ad Smolenscum, ubi orandum erat pro salute & felici expediti-
one Sacrae Regiae Majestatis, Domum Orationis incendit? Num
Euangelici? Res ipsa loquitur, Jesuitarum cætum hujus incendii
fuisse authorem.

Quis nuper Posnaniæ, cum Regnum Poloniæ
ob Turcarum & Tartarorum ad fines Regni copiosissimum accessum
in consiliis suis perturbatisimum esset, templis Euangelicæ Confessio-
nis exercitiis dicatis, itemq; Xenodochio pauperibus destinato, ignes
subjicit? Echo responde: Fecit Jesitarum chorus.

Quis pau-
peres plagiis exceptit, & supellecstile miserâ eosdem privavit? Quis
ædes Generosi Przeborowski, eò quòd Minister Ecclesiæ à vobis pul-
sus ibidem se aliquot dies contineret, vi invasit, effregit, spoliavit?
quis reos Invasionis domus istius Nobilis extradere, & arrestum eo-
rundem acceptare noluit? Ita res hæc omnium aures circumsonat,
ut nemo dubitet, horum omnium authores fuisse Jesuitas, eorundemq;
factum Jesuiticum.

Quis Cracoviæ per publicam Parænesin,
seu potius phrænesin, tum cum res Regni ob Confœderatum Militem,
Minorem Poloniam occupantem, in magnis esset angustiis, Civis Eu-
angelicos Cracovienses pace publicâ asscuratos Cracoviâ exire jus-
fit, &

fit, & ad conspirationem, tumultum, & seditionem plebem armavit,
usq; adeò, ut etiam Sacra Regia Majestas Dominus noster Clementissimus Mandato suo Regib; istorum hominum licentiam & insolentiam clementissime coercere coacta fuerit? Hic Jesuitæ, à suspicione se eximere conantes, excipiunt, Cracoviæ nullas se habere Scholas. Ut sit, vestrâ tamen vitulâ aratum fuit. Sic institutis vestris apprimè conveniens videtur, turbatis aquis pescari, & homines innocentes affligere. Nil dicam de aliis vestris excessibus hincinde in Polonia perpetratis, ne & justo longior sim, & vestrum Ordinem plus justo odisse videar. Potesne fodes, Jesuita, bonâ conscientiâ hæc criminia Euangelicis & ipsorum Scholis applicare? Si tibi ilia rumperentur, si ex barathro æquivocationes tuas, quæ apud me mendaciorum loco habentur, evocares, actum ageres: nisi quod forte Euangelicorum crebram de Confœderatione Regni reassumenda instantiam & solicitationem, quam vigore Recessum Regni bono jure postulante, tu importunitatem quandam vocare & in crimen adducere velis. Eam hactenus Euangelici moderationem adhibuerunt, ut injuria potius temporis & suæ cedere, quam S. R. Majestatem & afflictam Patriam à subsidio suis desertam esse voluerint. Hoc tibi, Jesuita, ad Proœmium Orationis tuæ responsum es.

Nunc hoc mihi ostendendum erit, habuisse Torunenses sufficienrem in Conventibus publicis Szrodensi & Proszovieni de Jesuitis querendi causam. Quod ego dum facio, peto à Vobis, Senatores Equitesq; Poloni, ut alteram aurem mibi quoq; Patrocinium Civium Torunensium suscipienti, velut æquissimi Judices, ne denegetis. Quod si impetrâro, efficiam profectò, ut intelligatis, Jesuitas pessimum esse genus hominum, qui, cum ultrò injuriam faciant, id agunt, ut patulis vestris & aquis auribus, justitiae bene faventibus, per calumnias suas quasi obice posito, omnem vobis veritatem cognoscendi viam intercludant, favorem iniquissimæ suæ causa concilient, Torunenses invidiâ aggravent, & soli boni viri, scilicet, sibi esse videantur: quosq; per vim opprimunt, ab iis se gravari & multis affici injuriis aliis persuadeant.

Ex Literis autem Torunensium quinque potissimum Capit*s*
quamvis multa siccō pede transeat, refutanda sibi proponit Jesuita,
quorum Primum simpliciter negat, Jesuitas unquam obstatisse,
quominus Augustana Confessio liberē ubiq*u*; exerceretur,
vultq*u*; sibi doceri, quo in templo, quo tempore, & per quē
id factum sit. Prō dolor! quanta impudentia spiritus Jesuitici,
negare ea, quae omnibus sunt in propatulo? Nonne Vilna & Po-
snania testis es*C*, ut de aliis Civitatibus nihil dicam? Annon is,
qui templa exurit, Ministros Ecclesiae violento conatu perseguitur,
Concionibus & Thesibus suis in publicum editis, spe impunitatis pro-
missa, Scholares suos & populum ad vim Euangelicis eorumq*ue* pietati
inferendam incitat, eamq*ue* absq*ue* scelere fieri posse persuadet, exercitium
Religionis Augustana turbat, & id planè ex fundamentis eversum
cupit? Inspicie Theses Socii vestri Laurentii Arturi Fauntei,
Anno 1590 de Ordinatione & Vocatione Ministrorum, ut ille falsò
appellat, Lutheri & Calvini (Non enim Ministri sunt Lutheri aut Calvini,
sed verbi DEI) eorundemq*ue* Sacramentis, Posnania editas & in Colle-
gio vestro ibidem disputatas, quibus pro colophone hæc verba forma-
lia sunt inserta: Et tamen hi profani Ministri, ac ne Diaconi
quidem, à quoquam Episcopo ordinati, Eucharistiam con-
fident? Quin igitur potiori jure quàm Ischyras absq*ue* sce-
lere à mensa abstrahantur, qui Sacerdotis munera obire non
verentur? Quin eorum mensam evertere poculumq*ue* con-
fringere impunè liceat? Egregiè sanè dispositis animos Scho-
larium vestrorum, qui vestrae doctrinae inbèrentes mensam everterunt,
poculum confrengerunt, ædes sacras demoliti sunt, bibliothecam com-
busserunt; atq*ue* ita plus, quàm Theses vestrae velle videbantur, impu-
nè fecerunt. Quid nunc interes*C*, ut verbis Senecæ ad Alexan-
drum utar, Leoni Lysimachum objicias, an ipse laceres dentibus tuis?
Tuum illud os es*C*, tua illa feritas. O quàm cuperes tibi potius
ungues esse, tibi rictum edendorum hominum capacem? Annon
juxta Cracoviam vestro impulsu Scholares Euangelicum Templum in
prædio Nobilis cuiusdam igni consecrarent? Nonne Vilnae idem fa-
ctum?

Etum? Novi fucatos vestri ingenij colores, utpote qui in Scholares
vestros omnem culpam rejicere consuevistis. Quæro ex vobis,

Fœsuaræ, si Studioſi Torunenses Euangelici ædibus Parochialibus, in
quibus ad tempus sedes vestras & tabulas fixistis, ignes supponerent,
an Excusatio Magistratus vel Rectoris in Studiosos culpam rejicien-
tis, tanti apud vos esset momenti, ut non in Magistratu, vel Recto-
re, cuius disciplina juventus est commissa, scis eufurifabam, & omnem
in ipsis rejecturi culpam? Cur non idem juris in vobis procedat? nisi
planè exleges esse velitis.

Jurisdictioni vestrae Scholares subje-
ctos esse vultis, nec normam eos regendi & sub disciplina continendi sci-
tis.

Sed quis, si paululum emundæ naris sit, non subolfaciat vestras
fraudes? per transennam licentiam Scholarium vestrorum inspicitis,
& illorum insolentiâ ad turbas excitandas abutimini; quod vel hinc
planum est colligere.

Cum ædibus Generosi Przeborovii vis
illata esset, postulatum fuit à vobis, ut reos criminis, quibus recepta-
colum penes vos erat, extraderetis: Denegasti extraditionem,
Privilegia quadam, quæ debent esse præsidia innocentia, non iniqui-
tatis, allegantes.

Postulatum deinde fuit, ut arresto innoda-
rentur, quod itidem recusatum fuit. Quis non videt, vos incen-
dii hujus nefarii authores esse, & metuere, ne per extraditionem isto-
rum incendiariorum, qui igne cremari vigore juris publici meriti sunt,
fraudes vestrae & complicitas hujus sceleris detegantur? Prodidisti
vosmetipſos indicio vestro, forices.

Hac adeò manifesta sunt,
ut non nisi, qui mente laborat & cœcutit, ea non videat nec perspi-
ciat: Eò rāmen impudentia progreſſi sunt Fœsuaræ, ut nos cœca qua-
dam imaginatione, ut illi cœcâ obedientiâ feruntur, nil ejusmodi de
ipsis vel loqui vel sentire velint, & in medio Sole probationes à To-
runenſibus requirant, seq̄ innocentissimos esse venditent.

Quid
opus est probationibus, ubi rerum testimonia adsunt, ubi delictum est
notorium, ubi patratores sceleris apud vos deprehensi? quos, si va-
care culpâ vobis cordi fuisset, vel ad declinandam suspicionem tam
insignis criminis, extradere debebatis.

Nostis enim aut nosse debe-
batis, Facientem & consentientem poenâ eadē plecti: sed

latet anguis in herba, vestrum h̄ic cernitis subesse periculum. Hi
sunt vestri Seminarii & vestri Collegii fructus, à quibus cautele vobis,
Torunenses, & mature Lernam hanc malorum à cervicibus vestris
excuteite, si sapitis. Serpentem enim in sinu suo alere periculo-
siſimum semper habitum fuit.

Accusat Jesuita Torunenses, quod non considerent, quid
agatur, & apud quos viros agatur, quodq; agatur de fama
hominum, & quidem eorum (Jesuitas intelligit) qui nulli-
us unquam criminis convicti sunt. O impudentiam! Re-
stius fecisses, Jesuita, si tam hyperbolicas laudes tui Ordinis altissimo
silentio involvisses. Sic enim sub pelle Leonina asinus tuus au-
ritus belle quievisset: quæ ut detegatur, suader tua hyperbole.
Convicti sunt tuæ Sectæ homines gravissimorum criminum, tūm in
doctrina hæreseos, tūm in moribus parricidii Rēgum & Principum.
Excidit tibi memoriā, Mariane Jesuitæ doctrinam de Rēgibus &
Principib; vestrâ virorum scilicet discretorum & gravium autho-
ritate accedente, occidens, à Parlamento & Sorbona Parisiensi ut
hæreticam damnatam, ejusdemq; de Rēge & Regis institutione Libros
Tres per Carnificem, ex Decreto Parlamenti ejusdem, publicè com-
bustos esse? Audio te muſitantem, non esse hanc omnium Jesui-
tarum doctrinam. Verū audi Jesuita me probantem, vestram
hanc esse omniū sententiam. Libri enim illi Mariane anno 1599.
Toleti, permisso Provinciali, cum approbatione Generali vestri Clau-
dii Aqua-Vivæ, vestriq; in Toletana Provincia Visitatoris, in lucem
editi sunt, illisq; hoc testimonium adjectum est, quod libri isti à viris
doctis & gravibus ex eodem vestro Ordine jam ante revisi approba-
tiq; sint; ibidemq; præfatus Provincialis hortatur serio, ut ad præ-
scriptam in eo formam actiones & consilia dirigantur, ex quo ma-
gnum atq; incredibile operæ pretium sit subsecuturum. Hujus
quoq; Mariane Libros Petrus Ribadeneira Jesuita in Librorum, quos
Jesuitæ pro suis recognoscunt, Catalogum Anno 1608 excusum as-
scivit, quem ibidem hoc Encomio illustravit, quod maximo ingenio,
peracri judicio, singulari memoria, multorum annorum studio, omne
disci-

disciplinarum genus diligentissime excoluerit, & ad S. Theologiam, raram omnium liberalium artium & Historiae tum Ecclesiastice tum profane cognitionem, & præterea Latinae, Graecæ, atq; Hebraicæ lingua peritiam adjunxerit: Romæ, in Sicilia, in Academia Parisiensi, D. Thomam Aquinatem magna cum laude publicè sit interpretatus: utpote in inveniendo acutus, in judicando severus, in disponendo distinctus, perspicuus in explicando, acer in disputando. Hans doctrinam non tantum in genere tractavit Mariana, sed in Capite VI. libri primi ad speciem progreditur, ubi commendat Monachum Jacobum Clementem, quod Henricum III. Regem Galliarum cultro, quem herbis noxiis medicatum manu tegebat, interficerit; subiectiens doctrinam, quod eodem modo ceteri quoq; Reges & Principes à subditis suis confodi aut alio modo interfici possint, dummodo parvicia, priusquam factum aggrediatur, Theologos Viros eruditos & graves (quibus titulis seipso nobis ostentant) in consilium adhibetur, & Theologi intentionem illius probârint. Insuper fatetur, Monachum prædictum Clementem consilium ejusmodi, antequam illud effectui daret, à prædictis Theologis requisivisse. An verò Henricus III. Rex Gallia, qui Henricum Guisum, Regni Galliarum fastigium & diadema affectantem, ejusdemq; complices pœna debitâ affecit, aliâs verò Catholicissimus fuit, Tyranni nomen, secundum horum Theologorum censuram, meritus fuerit? cuiusvis, modò Jesuita professione aut saltē animo non fuerit, judicio subjicio. Addit ulterius: Sic tandem præclarè in rebus humanis actum iri, si multi homines forti pectore invenirentur, pro libertate patriæ, vita salutisq; suæ contempnentes. In VII. autem Capite Mariana docet, etiam veneno Reges & Principes à subditis servitoribusq; eorum, & aliis interfici posse, hancq; viam majoris prudentiæ & cum minori periculo conjunctam esse. Etsi enim, inquit Mariana lib. I. Cap. 7. majoris est virtutis & animi, simultatem apertè exercere, & palam in Reipub. hostem irruere, non minoris tamen prudentiæ esse, fraudi & insidiis locum captare, quod sine motu contingat, minori

certè periculo publico atq; privato. Ex hac Marianæ doctrina fluxit, quod Jesuita Richardus Walpot socius Marianæ Anglum Eduardum Squirre veneno instruxit, quod Reginæ Angliae & Essexio non edendum aut bibendum præberet, sed quo sellam tantum ita inungeret, ut ex ejus contactu uterq; moreretur. Hoc modo, inquit Mariana, apud Reges & Principes hæ cogitationes salutares invalescent, illisq; persuasum erit, si Rempublicam oppresserint, si vitiis & foeditate intolerandi erunt, eos hac conditione vivere, ut non jure tantum sed cum laude & gloria perimi possint..

Neq; eum duntaxat pro Tyranno habet Mariana lib. I. Cap. 5. qui Rempublicam opprimit, sed qui Rempublicam premens vectigalia insolita populis imperat, qui sine consensu populi bellum cogit. Neq; enim Princeps se Reipub. & singulorum Dominum arbitretur, inquit Mariana, quamvis assentatoribus id in aurem insurantibus, sed Rectorem mercede à civibus designatā, quam augere, nisi ipfis volentibus, nefas existimabit: Thesauros tamen constituet, publicum ærarium ditabit, sine subditorum gemitu.

Hos omnes statuit Mariana, quos scilicet vi-ri docti & graves Jesuitæ Tyrannos esse decreverint, cum laude occidi posse. Quos autem Jesuitæ Tyrannos appellant? Num Nerones, Caligulas, Diocletianos, Maximinos, Dionysios Syracusanos? Non, sed quos illi vel hereticos esse judicant, vel qui Diadematæ suo Regio, ob spem majoris incrementi Pontificiae Ecclesiæ ex alia familia conceptam, se privari passi nonsunt; quod accidit Henrico III. Galliæ Regi, quem Jesuitæ, ob pacem cum Hugenotis initam, frigidum Catholicum, & ineptum ad regimen, existimarunt: vel, qui Pontificis Romani gratiâ exciderunt; aut Jesuitarum attentatis quoquo modo conterantuntur.

Hæc est novorum Hispanæ Apostolorum doctrina, que an furi Naturæ, Gentium, Divino, conveniat, ponderent omnes, quibus eterna & Rerumpublicar. salus curæ est, doctrinamq; hanc Diabolicam, jam olim per Constantiensis & Tolosani Quartii Concilii Decreta damnatam, unà cum ejusdem

dem Professoribus, longè à se removant. Cui licet Jesuita Cotton, in gyrum aequivocationum suarum se torquendo & circumducendo, in Gallia contradicere videtur (secundum Axioma Ribadeneire lib. I. de Principe Cap. 26. Christiana docet prudentia, dissimulatione neendum, si magna pericula rimentur) Eam tamen contradictionem simulatam & aequivocam esse demonstravit Universitas Parisiensis in Fideli sua Admonitione ad Reginam & Senatores Galliae, occasione Jesuitarum eorundem doctrine scriptâ & Parisiis excusâ; Cujus quoq; versipellem stylum latius persequitur ac depingit autor Libelli, cui AntiCottonis titulum fecit; Quam veritatem Cottonis persuadet vel Liber Anonymus nuper, teste Isaac Cassaubono in Epistola sua ad Frontonem Ducaem, in Angliam ad eos, qui Romano Pontifici ibidem adhaerent, missus, & permisso Superiorum impressus, ubi hæc verba extant: quòd P. Cotton in sua ad Reginam Galliae Epistola, sive modestia sive brevitatis cauſā, vel potius temporis serviens, Marianam reliquerit indefensum; & paulò pōscit: Eos, qui Marianam propter tales doctrinam Lutetiarum condemnabant, sancti nominis JESU inimicos esse. O blasphemum os!

Ult autem doctrinam hanc Jesuitarum hereticam à modo memoratis Concilii damnatam esse, clarius appareat, verba Eorundem hic ascribere liber. Constantiensis Concilii Decretum Sessione XV. his verbis conceptum est: Præcipuâ solicitudine volens hæc sacrosancta Synodus ad extirpationem errorum & heresium, in diversis Mundi partibus invalescentium, providere, sicut tenetur & ad hoc collecta est, nuper accepit, quòd nonnullæ erroneæ assertiones in Fide & bonis moribus, ac multipliciter scandalosa, totius Reipubl. statum & ordinem subvertere molientes, dogmatizata sunt, inter quas hæc Assertio delata est: **QUILIBET** Tyrannus potest & debet licite & meritorie occidi per quemcunq; Vasallum suum & subditum, etiam per insidias, blanditias vel adulaciones, non obstante quocunq; Juramento seu Confœderatione factis cum eo, non expectatâ sententiâ vel mandato Judicis cujuscunq;; **Adversus hunc er-**
rorem

rorem satagens hæc sancta Synodus insurgere, & ipsum funditus tollere, decernit & definit, hujusmodi doctrinam erroneous esse in Fide & in Moribus, ipsamq; tanquam scandalosam, & ad fraudes, deceptions, mendacia, proditiones, perjuria, vias dantem, reprobat & condemnat.

Concilii autem Toletani Quarti Cap. 24. hoc fuit Decretum: Nullus apud nos sub præsumptione Regnum arripiat, nemo meditetur interitus Regum. Quicunq; ex nobis

sacramentum fidei suæ temeraverit, aut Regem noce atrectaverit, aut potestate Regni exuerit, aut præsumptione tyrannica Regni fastigium usurpaverit, Anathema sit.

Hinc apparet, quantum novi Doctores, qui Regum hostes, utpote Castellum, Garnetum & Guinardum, ob crimen leſa Majestatis damnatos, in censu Martyrum collocant, à Conciliis eorundemq; Fide discesserint? Saniores fuerunt naturæ instinctu Ethnici quod vel ex Homero Oceano sapientia Naturalis & Civilis Odyss. w. videre es: Ubi postquam Telemachus Ulyssis filius, percontandi de patre suo gratiâ, navi discesserat, Proci inierunt consilium de Telemacho interficiendo, authore & suoſore hujus facinoris cruentiq; consilii Antinoo, qui assumitis viginti sociis consensa navi in mari ei insidias noctu & interdiu struxit, irrito tamen conatu.

Telemachus enim, superatis procorum insidiis, domum rediit, agrè ferentibus Procis. Suasit itaq; Antinous, ut Telemachus vel in agro vel ruri, vel in via, dum ex agro se in urbem conferret, interficeretur. Hæc crudelitas Antinoi uni ex Procis Amphinomo displicuit, ac proinde dixit: O Amici, non sanè ego velim interficere Telemachum. Horrendum verè est, Regium genus necare.

Ecce Jesuita, annon Amphinomus Homericus Regii generis vobis observantior fuerit, qui Regium genus necare, rem horrendam esse, contra Antinoum, omni ratione & mente, ut vel nomen ipsius representat, exutum, vestræ farinæ hominem, existimat.

Sanior vobis fuit Amurathes Turcicus, qui fidem non solum Principibus & Dominis Hereditariis, jure subjectionis, aut submissionis sue, debitam, verū etiam Exteris jure aliquo pactionis datam, violandam non esse, sed integrè præstan-

Randam, suâ ad Salvatorem nostrum, in prælio ad Varnam paludem, directâ Exclamatione, symbolum quasi constantis fidei & integritatis non fictie, Regibus, Principibus, & aliis jure passionis debita, nobis Christianis imitandum reliquit, Cujus verba Ribadenera vester Socius refert in libro suo de Principe lib. 2. cap. 17. ejusq; sunt tenoris: Hæc sunt, JESU CHRISTE, fædera, quæ Christiani tui mecum percussere. Per numen tuum sanctè jurarunt, datamq; sub nomine tuo fidem violarunt, perfidè D E U M suum abnegarunt: Nunc, CHRISTE, si D E U S es, ut ajunt, & nos hallucinamur, tuas measq; injurias, te quæso, ulciscere; his, qui sanctum tuum nomen nondum agnoverè, violatae fidei pænas ostende.

Ne autem existimetis, solum Marianam hac pestilenissimam heresi infectum fuisse, considerate quæso, quid Sanderus Jesuita in libro suo de Monarchia visibili, itemq; Jesuita Emanuel Sâ in sua Institutione Confessorum doceant, in eum, quem ex Maria-
na allegavi, sensum. Non ita pridem Jesuita Moguntinus Martinus Becanus prædictam Joannis Mariana doctrinam de Parricidiis Regum tenaciter defendit. Hanc doctrinam tra-
etat etiam libellus Jesuitarum Lugduni Anno 1591. ex præcep-
to Superiorum, præfixo Jesuitarum Signo, excusus, cui titulus est:
De abdicatione Henrici Terti, in quo non solum cædes in Hen-
ricum III. commissa laudibus extollitur, Monachus Clemens in
censum Martyrum collocatur, verum etiam omnes Regni Galliæ
Incolæ ad parricidium Regis Henrici IIII. incitantur. Hu-
jus quoq; farinæ est liber Jesuiticus, cui titulus est: Apologia pro
Joanne Castello Parisiensi & pro Patribus Societatis Jesu,
quam Jesuitæ ex Gallia pulsi in Belgico typis imprimi curarunt, in
qua discipuli sui Joannis Castelli propositum de interimendo Rege
Henrico IIII. velut heroicum & legirimum commendant, eundemq;
Castellum inter Martyres numerant. In eum quoq; sensum do-
cet Jesuita Reinaldus, in libro suo, sub Gulielmi Rossæi nomi-
ne edito, De justa Reipublicæ Christianæ in Reges impios
& hæreticos authoritate, justissimaq; Catholicorum Con-

foederatione ad repellendum Henricum Navarræum à Re-
gno: Itemq; Jesuita Creswel in libro suo, cui Philopater titu-
lum inscripsit; Qui omnes & quamplurimi alii Joannis Marianæ
doctrinam confirmant. Hac Diabolica doctrina incitatus Ca-
stellus Regem Galliæ Henricum IIII. cultro petiit, sed obstante
dente non transfixit, quem postmodum novissimus Parricida Fran-
ciscus Ravaillac transfodit. Uterq; confessi sunt, cùm de cau-
sa & occasione facinoris sui interrogarentur, doctrinam hanc Jesui-
tarum, ex sinu Sathanæ, qui ab initio fuit mendax & homicida,
profestam, illis ad hoc parricidium incitamento fuisse. Hoc in
laudem Jesuitarum adjiciendum censeo, quòd, cùm Castelli iitus, den-
te obstante non procederet, Inquisitores à Parlamento Deputati, qui in
Collegium Jesitarum se contulerunt, hoc ex inquisitione deprehendi-
rint; Praeceptorem Castelli Joannem Gueret Jesuitam doctrinam
hanc pestilentem in Schola communiter tractasse; quo nomine, una
cum Jesuita Alexandro Hajo, doctrinæ ejusdem propugnatore, in
perpetuum ex Gallia relegatus es. Insuper etiam eodem tempore
penes Jesuitam Guinardum talis liber, quem ipsem manu sua con-
scripserat, deprehensus fuit, in quo docuit, Cædem in Henricum III.
commissam, legitimam & laudabilem fuisse, pariq; ratione Successo-
rem illius Henricum IIII. tum Regem Galliæ, quem ille contem-
ptim Bearnensem appellavit, interfici debere. In quo libro
etiam hæc Themata à Jesuita Guinardo consignata erant, quæ ipsa
etiamnum in Archivo Parlamenti Parisiensis habentur: 1. Quod
in Nuptiis Parisiensibus Anno 1572. Henrici IIII. vitæ nul-
la rario haberi sed interfici debuerit. 2. Parricidium Monachi
Jacobi Clementis in Rege Henrico III. commissum, illi à Spiritu
Sancto inspiratum fuisse, & hanc esse Jesitarum sententiam & do-
ctrinam. 3. Regni successionem à Borbonia familia in aliam trans-
ferendam esse. 4. Si mitius procedendum foret cum Henrico IIII.
tum temporis Rege Galliæ, Monasterio eum mancipandum esse, &
loco Coronæ Regiae consuram illi Monachalem radendam esse. 5.
Si absq; vi belli Regno exui non posset, eum vel bello impeti, vel a-

stuta

Acta fraude interfici debere. Hujus Diabolica doctrina ergo
Fesuita Joannes Guinardus 7. Januarii Anno 1595. Decre-
to Parlamenti Parisiensis ad laqueum condemnatus, ejusdemq; Cada-
ver igni combustum fuit, quem Fesuitæ in censum Martyrum laureâ
coronâ depictum assiciverunt. Eodem modo Fesuita Varade Anno
1593. Petrum Barriere incitavit, sacris Epulis insuper eum ob-
stringens, ut Henricum III. Regem Galliæ interficeret: quo no-
mine Barriere, cui res non succedit, ad mortem Meloduni damnatus
fuit.

Inter alia autem quamplurima memorabile est facinus
Henrici Garneti in Regno Angliæ Provinciali, Johannis Ger-
hardi, Oswaldi Tesmondi sive Gronweldii, Oldenkornii alias Hal-
li dicti, & aliorum, qui operâ Catesbii, tanquam instrumenti pul-
verariae sue conspirationis, Regem Angliæ, totamq; ejus familiam,
& plurimos alios Proceres, tum Euangelicos tum Romano-Catholi-
cos, pulvere tormentario penitus extirpare & abolere voluerunt.
Dignum autem est notaru, Quod cum Catesbius, à propria sua con-
scientia vexatus, ex prædicto Garneto quæreret, Annon loco meriti
alicujus, indignationem DEI sit incursum, si tot innocentes Pro-
ceres & Nobiles Romano-Catholici, qui Comitiis Regni essent in-
terfuturi, cum ceteris in aërem pulvere discusi fuerint? Garnetus
hoc modo fluctuanti illius conscientiæ subvenerit, illiq; responderit:
Quandoquidem ex hac parte majus lucrum sit sperandum, quam ex
altera damnum sit obventurum, justum esse, ut omnes, quotquot eo
in loco etiam Romano-Catholici fuerint, simul & semel pereant:
prout ex Actione in Henricum Garnetum Fesuitam videre est, cui
major est fides adhibenda, quam Fesuitis, parricidas istos pro Martyri-
bus habentibus, quibus nihil magis familiare est, quam ut exemplo Gar-
neti aequi vocè mentiantur & decipiāt: De quo Garneto historia Angli-
cana narrat, non prius ex illo veritatem criminis potuisse investigari
ob aequivocationes, quibus uti consueverat, quam Rex Angliæ hac con-
tra illum arte & inventione uteretur. Fuxta carcerem, in quo Gar-
netus collocabatur, fuit aliud conclave, pariete duntaxat distinctum,
cui alius Fesuita Oldecornus, alias Hall dictus, mancipatus fuit.

Monitus fuit tacitè Jesuita Hall à custode carceris, in proximo Conclavi Garnetum detineri. Ea autem utriusq; Conclavis erat dispositio, ut hi bini Jesuitæ verba inter se commutantes à testibus eam ob rem juxta carcerem tacitè collocatis bene exaudiri & intelligi potuerint. Jesuitæ se solos existimantes longa serie de infelici sui instituti successu collocuti sunt; quæ ipsorum Colloquia ad Regem delata, & utriq; Jesuitæ postmodum objecta sunt; Qui cùm Colloquia sua prodita esse animadverterent, tandem factum negare desierunt; Cumq; ex Garneto quæsitum esset, quare tam obstinatè scelus suum antea negasset, respondit, Hoc sibi licere, modò in animo suo cogitat, se coram incompetenti Judice (qualem ille Regem Anglie esse somniavit) veritatem exponere non teneri.

Si vel te solam Cæsar Augustam alias Saragossam dictam, Regni Arragonie Metropolin, Civitatem Romano-Catholicam, in medium statuerem, ut qua fide Jesuitæ tecum egerint, omnisq; tuæ libertatis excidii autores fuerint, in publico nobis referres, sufficeret nobis tuum de Jesuitis judicium. De qua historia videat Lector Autorem Catechismi Jesuitici Romano-Catholicum pag. 537. cum sequentibus.

Non ita pridem Bellarmini quoq; vestri Goliathi, Liber, De potestate Summi Pontificis in temporalibus super omnia hujus Mundi Imperia & Regna, Parisiis Die 26. Novembr. Anno 1610. hærefoe damnatus es; cum eâ annexa inhibitione, ne quis isti libro asstipuletur, eundem habeat, alii communicet, aut prælo subjiciat, sub pœna Criminis laſa Majestatis, eò quod, ut verba Decreti Parlamenti Parisiensis sonant, falsam & abominabilem doctrinam, in abolitionem supremi & immediati Magistratus, & à D E O constitutæ Potestatis, ad excitandas seditiones Subditorum, aversionem debitæ eorundem obedientiæ, ad violentas in personas & dominia Regum & Principum impressiones manuumq; injectiones, ac deniq; ad communis publicaq; pacis eversionem, directam complectatur. Talem potestatem non solum in temporalibus, verum etiam quoad redditus Pontificis, quam Bellarmius & ceteri Jesuitæ, Romane

Romanæ Aulæ adulatores noviꝝ Doctores, nobis persuadere conantur, nunquam in Polonia ab antecessoribus nostris Pontifici recognitam esse, vel Statutum SIGISMUNDI Regis Poloniæ de Annatis Anno 1543. promulgatum testatur, cuius hæc sunt verba: Satisfaciendo postulationibus Dominorum Consiliariorum nostrorum Secularium, & Nunciorum Terrestrium, mittemus ad Sanctum Patrem Papam petitum Annatas, utne eas de Regno efferri permittam, sed ut remaneant pro defensione Reipub. in Regno. Quod si eas impetrare non possumus, tum jam extunc renunciare illi debemus, easdem nos neqꝫ daturas esse, neqꝫ efferri ulla ratione permisuros. Ubi tunc ista Pontificis Romani omnipotentia in Polonia latitabat?

Aliter nos docet Augustinus super Johannem inquiens: Per Jura Regum possessiones habentur. Si vero dixeris, Quid mihi & Regi? noli iam dicere possessiones tuas, quia ad ipsa Jura, quibus possessiones possidentur, renunciasti. Nam secundum Jus Imperatorum possides terrena: tolle Imperatorum Jura; quis audet dicere, Mea es illa villa, aut, meus es iste servus, aut, mea es ista domus. Aliter quoꝝ nos docet Bernhardus ad Eugenium Pontificem: Apostolis interdicitur dominatio, indicitur ministerio. Nec illud tibi dare, quod non habuit, Petrus potuit; Argenteum, inquit, non es mihi: quod habuit, hoc dedit, scilicet solicitudinem super Ecclesiás, non dominationem. Disce, ministerium tibi impositum, non dominium datum; disce, sarculo tibi opus esse, non sceptro. Non monstrabitur, ubi aliquando quispiam Apostolorum sederit Iudex hominum, aut diversorum terminorum, aut distributor terrarum: (NB Jesuita) Sterisse lego Apostolos judicandos, sedisse judicantes non lego. In eandem quoꝝ notam canit Chrysostomus Homil. 21. Principes Mundi ideo constituuntur, ut dominantur Minoribus: Principes Ecclesiæ fiunt, ut serviant minoribus.

Hæc doctrina SS. Patrum longè à vestra hæresi diversa es, utpote, qui Pontifici Romano Jus instituendi ac deponendi Imperatores, Reges ac Principes; itemqꝫ Monarchiam Spiritualem & Tem-

poralem in omnibus Regnis & Provinciis totius Mundi, contra men-
tem vel ipsorum Pontificum Romanorum, qui Romanam & patrimo-
nium suum non sive aliquo Vicariatus, sed ex donatione Constanti-
ni se tenere gloriantur, ascribitis, idq; pro Articulo Fidei haberi,
ac fastum & arrogantiam GREGORII VII. antea dicti Hilde-
brandi, pro Lege observari vultis, quem Platina, in ejusdem Vita,
sic loquentem introducit: Agite Apostolorum Principes, &
vestra autoritate, quod dixi, confirmate, ut omnes nunc
demum intelligent, NOS, NOS Imperia, Regna, Princi-
patus, & quicquid habere Mortales possunt, auferre &
dare posse. Ite & gloriamini, vestri Ordinis homines nul-
lius unquam criminis convictos esse. Nescitis forte, quid sit,
criminis convinci, cum, licet convicti sapè fueritis, impudenter ta-
men criminis vos convictos esse negatis. Non vestri hoc est
arbitrii, sed Judicis, qui causam diligenter investigat, Reumq; me-
diante Decreto ex testimonio & ex ipsa Rei confessione criminis
convincit, & ad pœnas condemnat: Aliás si in vestro arbitrio con-
victionis interpretatio posita esset, nunquam illa equivocationis ve-
stræ elusionem effugeret. Nonne Decreto Parlamenti & Sorbo-
næ Parisiensis, quotquot vestrum in Gallia fuere, convicti estis, quod,
ut verbis Pyramidi incisis utar, sitis corruptores Juventutis, pa-
cis publicæ perturbatores, hostes Regis & Status Regni Gal-
liae qui nuper, abominandis sceleribus pietatis nomen obtendentes, popu-
lariter docuistis Unctos DOMINI, vivas Majestatis ejus imagines, oc-
cidere; Item, quod sitis hominum genus novæ ac maleficæ superstitio-
nis, qui Rempublicam turbant, quorum instinctu piacularis adole-
scens, Scholà impiâ, malisq; magistris, Sotericum, oheu! nomen usur-
pantibus, usus, ac pernicioſissimæ factionis hæresi pestiferâ imbutus,
dirum facinus instituerat. Hæc modò dicta adjicere libuit pro-
pter hyperbolēn Ordini vestro falso adscriptam, ut, quid intra cu-
tem vestram lateat, omnibus constet.

Nunc filium Orationis tue, Jesuita, ulterius sequar. Sic
ais: Affirmatis, Torunenses, Templa, Scholas & Xenodo-
chia

chia jurisdictioni vestræ subtrahi; sed quæ sint illa Tem-
pla, quæ Scholæ, quæ Xenodochia, ostendere non pote-
stis: Nullum in Templum, nullam in Scholam, quæ ad jus
vestrum pertineat, Jesuitæ involarunt. De Xenodochiis nihil
in Literis Senatus Torunensis continetur. De Templo & Schola mi-
rum quòd Jesuita apertam veritatem negare ausit. Omnia
oculis patet, Jesuitas Templum D. Joannis & Scholam Civitatis
hæreditariam occupasse. Ut autem Jesuita glaucoma lectori ob-
jiciat, negat, suæ Sectæ homines Templum & Scholam ædesq; Paro-
chiales malâ fide & vi occupasse, sed magna voluntate Parochi, pe-
nes quem ius erat, ad ea invitatos esse. Fraudem hic vestram
detegere omnino cogor. Ostendam, Jesuitæ, Vos tum temporis, cum
Torunenses adhuc essent in possessione Templi D. Joannis, ibidemq;
exercitia Religionis suæ Euangelicæ celebrarent, Scholæq; ædibus
Parochialibus adjacentे, juventutis suæ instituendæ causâ, ueren-
tur, dolo malo egisse, ut ædes Parochiales, Templum & Schola Civ-
itatis hæreditaria vestro Collegio & Ordini incorporarentur: Quod si
ostendero, planum jam erit colligere, non Parochi voluntate Vos
ad Templum, ædes Parochiales, & Scholam invitatos esse, sed vos
astutè & fraudulenter jam apud Reverendissimum Episcopum Cul-
mensem KOSTKA laborasse, ut vestro Collegio ista omnia addice-
rentur. Ostendite Fundationem Vestram, quam surreptito
modo à predicto Episcopo Culensi KOSTKA, qui fuis fundandi
vestrum Collegium in Civitate Torunensi non habuit, obtinuistis,
cum qua, durante Processu cum Plebano, in lucem prodire metueba-
tis, ne Torunenses fraudes vestras olfacerent, vestro instinctu, Vo-
bis bono, Processum à Marcovio intentatum fuisse. Quia ve-
rò Fundatio ista Radzinensibus Adiis à vobis insinuata es, ad eam
Vos, Illustres Senatores & Equites Pôloni, remitto, ex qua inte-
grum es vobis intelligere Jesuitici spiritus omni fronte carentem
astutiam. O si, Markowski, rriveres, aliud testareris, qui in fa-
ciem Lascio & ceteris Jesuitis, ut ex Torunensibus audiri, Depu-
tatis ex Ordinibus Civitatis Torunensis præsentibus, cum tibi De-

putati ostenderent, Iesuitas Privilegium in tergum Civitatis & tu-
um obtinuisse, & Privilegii Copiam demonstrarent, dicere non erubui-
sti, Iesuitas tecum mala fide egisse, & Recognitionem quandam tu-
am privatam à te per vim extorsisse: Unde factum, ut Deputati ex
Ordinibus Civitatis Te ejectum viciſſim volentem & annuentem in
integrum restituerent. Quid mibi respondebis, Iesuita? Nonne
Fundatio ipsa, quæ aures vestras Mydae antea latentes nunc aperte
nobis confaciendas præbet, vos mendacii convincit, Vos non Paro-
chi voluntate invitatos esse, sed Vos, antequam Parochus possesso-
nis Templi & Scholæ obtinenda spem ullam concepisset, Parochi
tanquam ministri vestri operâ subdole abusos esse? Sed po-
sito, non concesso, Parochum Torunensem Markowski vos inri-
tasse: Ad quid vos Iesuitas invitavit? Ipse pro me respon-
des, quod ipsi magis allibuerit Iesuitis, quam aliis hominibus, in au-
xilium Ecclesiae suæ uti. Ah! quantum discessistis, Iesuitæ, ab
intentione Plebani. Ille vos binos duntaxat, unum Concionum
habendarum, alterum Confessionis audienda gratiâ, in auxilium Ec-
clesiae suæ invitavit; Vos illum contra jus hospitii Parochialibus
cedibus privatis, Vos sollicitè egistis, ut Templi possessio ejusdemque
Claves vobis assignarentur: Ille ut Parochus investitus es; Vos
autem, ut Parochi nomen evanesceret, & Vicarii nomen assumeret,
Vobisq; jus & titulus Parochi ascriberetur, ac possessio Parochia vestra
esse, Vosq; ipsi potestatem Vicarii Parochi perpetui constituen-
di haberetis, Privilegio vobis caveri curastis, eoq; ipso ostendistis,
Vos, secundum Privilegium vestrum, ad malam informationem ob-
tentum, esse Parochos, & qui Vos in auxilium vocavit, esse ve-
strum Vicarium. Quid autem, Iesuita, ad hæc respondes;
Plebanum, qui Ius Personale tum habuit in Templo & Domo Pa-
rochiali, tibi Ius Reale, quod tu tibi usurpas, concedere non potuif-
se, cum Ius ipsius Plebanale morte ipsius extinctum sit? Quod
enim juris alter non habet, alteri dare nequit: Cur posse mortem
illius non ceditis Domo Parochiali moderno Plebano, qui, ut Fa-
bricius vester questus es in subsequentibus Literis, vobis nunquam
affectus, vestroq; auxilio non indiget.

Ad

Ad Objectionem, quam Torunenses vobis opponunt, Iniquum
esse, Parochiam à Majoribus fundatam & amplissima dote ornatam
in Collegium Jesuiticum permutari, ita respondes, Posse videri ini-
quum, si Jesuitæ ex ista dote & bonis Parochiæ quicquam
ad se averterent: sed non posse docere Torunenses, unum
teruncium ex hisce bonis ad Jesuitas pervenisse.

Sed quis non animadvertis vestram subtilem agendi dispositionem? An-
non Privilegio vobis hoc datum est, ut transviso in Jesuitas Jure
Regio Patronatus, Vos sitis Parochi, & habeatis potestatem consti-
tuendi Vicarii Parochi perpetui? qui alius procul dubio futurus
non est, quam unus ex creaturis vestris, qui eti templi & dotis Ec-
clesiae fructuum percipiendorum, vigore istius Privilegii, facultatem
habere debeat, procul dubio eousq; tantum, quousq; vobis & Provin-
ciali vestro visum fuerit, cum ex culina vestra canes alieni vix pin-
guescant: tamen quis non videt, vobis eoipso, dum loco Plebani po-
testas Vicarii constituendi in vestro arbitrio esse debeat, plenam cum
omnibus bonis Ecclesiae disponendi datam esse potestatem, & Vicari-
um à vestro arbitrio dependere oportere? Sicne Templum D. Jo-
annis ab antecessoribus Torunensium fundatum, ut Collegium Jesuiti-
cum sit Parochus; ille vero, qui fructus Ecclesiae percipit, sit Vi-
carius? Hæcne Torunensium, Ecclesiam pauperem dotantium, fu-
it mens, ut & dispositio templi & dotis ejusdem sit sub Jesuitica po-
testate? Neutquam. Sed ejus vos estis spiritus, ut ad dispositio-
nem vestram omnia juralicet sanctissima fleti oporteat; vestri sem-
per fuit instituti, non religionem sed regionem vestram amplificare,
quamvis sub specie cuiusdam religiosa conscientia singatis, quando
vobis Parochia aliqua attribuitur, laborem vos duntaxat, non com-
modum, querere.

Testem appellatis Vilnensem Ecclesiam
& Cracoviensem, quibus ita præsunt Jesuitæ, ut tamen Parochus cum
suis Sacerdotibus sua commoda habeat. Sic vos quidem simpli-
ciores dementare & foro uti consuestis ad tempus, maxime cum in
Polonia aures vestras asininas adhuc in apricum erigere metuatis,
Interim latet anguis in herba.

Nonne tempore Pontificis
D Grego-

Gregorii XIII. Jesuitæ hoc egerunt apud prædictum Pontificem, ut Monasterium extra Urbem Romanam situm, D. Paulo consecratum, Monachis Ordinis S. Benedicti competens, sibi cum omnibus ejusdem attinentiis, Monachis inde ejectis, concederet, eò quod Monachi inordinate viverent; id quod facile etiam à Pontifice illo impetrarunt. Verùm cum Monasterium istud Bullâ Pontificis subnixi Jesuitæ ingredierentur, possessionis ejusdem occupandæ ergo, ita à Monachis plagiis excepti sunt, ut omnis illis spes & voluntas Monasterii istius occupandi excideret: Quo nomine Jesuitæ coram Pontifice prædicto Processum Monachis intentarunt, sed mors Pontificis Gregorii XIII. litis decisionem interrupit: Postmodum cum apud Sixtum V. qui Jesuitarum monetam adulterinam benè noverat, Processum Jesuitæ reassumerent, Decretum ejusmodi intercessit, Monachos, propter vitæ inordinatae rationes, non è Monasterio ejiciendos, sed reformatos esse. Vides, Jesuita, quām observans fuerit Sixtus V. Pontifex antiquarum Fundationum, quas vos penitus eversas cupitis; nec mirum, cùm inde Regio Vestra amplificetur. Nonne Iesuitæ apud Pontificem Clementem VIII sollicitè egerunt, ut Monasterium Carthusianorum Lucernensem ipsi donaret, eò quod pauci numero Monachi parumq; Ecclesiæ utiles ibidem viverent? Verùm Cardinalis Deßat Gallus tantum effecit apud Pontificem, ut Carthusiani circa possessionem Monasterii, quod procul dubio amplissimam habet dotem, conservarentur, & Iesuitæ repulsam paterentur; eoq; adducti sunt Carthusiani, ut in Generali suo Conventu concluderent, perpetuis temporibus in Monasteria ipsorum nullum Iesuitam recipi debere. Eodem planè exemplo Antwerpiae, cum Comes de Fuentes eandem gubernaret, Iesuitæ Monasterium Carmelitarum impetrarunt, prætendentes Monachorum paucitatem; Verùm, cum Literis suis patentibus suffulti Monasterium ingressi essent, & Priori ac roti Conventui intentionem suam de occupando Monasterio indicassent, per Monachos vi ejectedi sunt. Nonne in Belgio plus quām viginti quinq; Monasteria Ordinis Præmonstratenſum, & plus quām triginta millia librarum pensionis annua,

Mona-

Monachis Præmonstratensibus olim competentia, ad vos per fas & nefas pertraxistis? Nonne in Gallia Præposituram S. Salvatori, & in Provincia Langue doc S. Cosmo consecratam, & alias quamplurimas, quarum pensiones annuae Quinquaginta millia Coronatorum excedunt, vestro Collegio addici curastis? Nonne Abbatem Bellebranchensem in Ducatu Mainensi Ordinis Cisterciensis cum toto suo Clero Monasterio & prædiis ad id pertinentibus, contra votum vestrum paupertatis, exuere cogitastis, impetratis ad hoc à Pontifice Romano & Henrico III. Galliarum Rege Privilegiis? Verum non cessit vestra libidini Abbas, sed Doctorem Theologiae defendendi sui Iuris causâ ad Regem ablegavit versus Fontainbleau, quem cum Pater vester Cotton interrogaret: Num Executionis Bullarum & Privilegiorum suorum impediendæ ergo illic venisset? Ubi & quibus ex authoribus hoc didicerit, Pontifici & Regi Galliæ, quorum uterque Abbatem & Conventum Monasterio cedere, illudque Iesuitis deoccupare, mandavit, non esse obtemperandum? Respondit acutè vestro Cottoni, se id didicisse ex authoribus & libris istis, ex quibus Iesuitæ hanc doctrinam hauserunt, quod illis aliorum hominum facultates & prædia absque ullo jure & titulo rapere, & veros legitimosque Successores & possessores possessione eorundem defraudare liceat.

Nonne virorum Illustrium filiis propterea insidiamenti, eosque in nassam Societatis vestrae allicere nitimini, ut amplissimarum hereditatum fratris successores? cuius rei vestigia non necessarium est elongè petere. Nonne astutè Illustrissimo olim Episcopo Cracoviensi non contemmndam partem suorum reddituum, cum ille, non bene supputatis suis rationibus, rem exiguum à vobis peti existimaret, iphi ac futuris ejusdem Successoribus intercipere cogitastis? Non putatis forte, rem hanc, quid cum Recognitione illius vobis data aeternum sit, toti Regno esse notissimam. Eja gratulor vobis, quod sub specie simplicitatis vestrae, qua laborem in vos recipere, commoda autem aliis relinquere simulatis, artem Cabalam, aurum & argentum, Monasteria, & Prædia, & innumeratas pensiones annuas spi-

scandi, egregiè didiceritis; mirum, quòd hæc res cæteris Ordinibus non succedar. Sed quis infinita ejusmodi Jesuiticæ pescaturæ exempla hisce pagellis referret? Remitto Lectorem ad Examen Jesuiticæ doctrinæ & vitæ Parisiis, & ad Discursum de Jesuitica conscientia, Hanoviæ Anno 1611 impressum. Eodem procul dubio modo procederent Jesuitæ cum Parocho Torunensi, si pedem, quod absit, Torunii fixius collocarent, & nî eum patrocinio Torunensium tutum esse animadverterent.

Sed inquit Jesuita, quid hoc ad vos, Torunenses? Nullum in Templum, nullam in Scholam, quæ quidem ad jus vestrum pertineat, Jesuitæ involarunt. Hic attentus Lector observet, non negare planè Jesuitam, Socios suos aliena Tempora & Scholas ad se rapere, sed tantum inficias ire, ea Jesuitas ad se pertraxisse, quæ ad jus Torunensem pertineant. Non displacebit fortè Torunensibus, quòd eorum Privilegium à Serenissimis Poloniæ Regibus ipsis, ob dotem Templo collatam, indulsum, maximè cum illud Nobis, tum temporis Nuncis in Comitis Regni, scriptum communicarint, hic adscribendum duxerim, quod hujus est de verbo ad verbum tenoris.

S I G N I F I C A M U S &c. Quia intelligentes in opia Ecclesiæ Parochialis tituli S. Joānis Baptistæ in Civitate Torunensi, Juris Patronatus nostri, annuentesq; votis & petitionibus Famosorū Proconsulū & Consulū Torunensem, Ecclesiam ipsam ejusq; fundum augere, & privatis corū fortunis eam dotare volentium, præsertim verò providere cipientes, ut Rector Ejusdem Ecclesiæ Ministriq; pro tempore existentes competentiorem vietus habeant provisionem, Eisdem Proconsulibus & Consulibus pro tempore existentibus, de certa scientia & liberalitate Regiis nostris, in spem prædictæ Dotationis per eos adaugendæ, Ecclesiæ prædictæ Jus Patronatus & præsentandi alternatis vicibus in eadem ipsa Ecclesia nobiscum & cum Successoribus nostris periplos & eorum Successores æviterne habendum,

dan-

dandum, donandum & conferendum duximus, damusq; do-
namus & conferimus præsentibus in perpetuum. Quocir-
ca volumus, decernimus & statuimus perpetuò, ut dum Ec-
clesia ipsa per cessum aut decessum pro tempore vacayerit,
totiens Nos pro una absq; ipsis Proconsulibus & Consuli-
bus, & similiter ipsi Proconsules & Consules absq; con-
sensu nostro, pro sua alternata, vicibus, personas ad dictam
Ecclesiam Loci Ordinario præsentare debebimus & præ-
sentabunt. Quam Donationem, Decretum, Volunta-
tem & Statutum nostrum decernimus perpetuò duraturum
valiteturumq; per Nos & Successores nostros æviterne ob-
servandum, tenore præsentium mediante.

Ecce, Iesuita, probavi, Torunenses habere Jus Patronatus cum
Sacra Regia Majestate commune. Ubi nunc tua trophæa? Si
Torunenses habent Jus Patronatus commune cum S. R.
Majestate, cur illud non ostenditur? Doceant hoc Toru-
nenses, & vicerunt. Hec Iesuita. Cerasti cum Toru-
nensisbus de subalternato Patronatus Iure, deposito certo pignore, ni-
mirum lucro & victoriâ caussæ. Cede itaq; cum tuis malæ fidei pos-
sessoribus Templo Domoq; Parochiali, vigore tuae propriæ obligati-
onis, aut nisi cedere volueris, Torunenses, vos appello, herbam, quam
Iesuitæ vobis porrexerunt, apprehendite. In hujus Privi-
legii usu & possessione Civitas Torunensis hucusq; fuit: Quemad-
modum & Modernus Parochus à Civitate Torunensi, cum jam Ie-
suitæ Privilegium suum obtinuissent, Illustrissimo & Reverendissi-
mo Domino Episcopo Culmenſi præsentatus, & ab eodem confirma-
tus est: Quodipsum cum vos Iesuitæ animadverteritis Privile-
gio vestro repugnare, nomine vestro Iesuita quidam Caliſiensis Pe-
trus Fabricius ad Senatorem quendam hujus Regni, qui eas Li-
teras mihi legendas præbuit, inter alia sic scripsit:

Pro Scholis Torunii aperiendis, plurimi ex Nobilibus instant.
penè quotidiè apud Nos; verùm ipsos negocium agere cum Civibus
jubemus, de quo etiam Illustr. Dom. Vestræ mentem libenter co-

gnoscerem. An verò designabuntur aliqui ad istarum cognitionem caffarum Commissarii? Sanè sicut in priori ita & in posteriori negocio nil nisi majorem DEI gloriam quærimus (cui rei nos dicavimus) Ecclesie S. incrementum, proximorum salutem & perfectionem.

Verùm Dominum Parochum Torunensem minus habemus nobis affectum seu benevolum; qui agere & loqui subinde contra nos haud cessat, ut exturbare nostros è Templo videatur velle, conversationem suam cum PP. Dominicanis potius habens, quam nobiscum. Obsecro, velit Illustr. Dom. Vesta efficere, ut Reverendissimus Dominus Episcopus conservet nobis Ius Patronatus nostrum, Correctione ejus aliqua facta, seu Cautione data, ob Beneficium huic Parocho collatum.

His puto me jam ostendisse ad oculum usq;, non tantum Jesuitas mala fide cum Plebano egisse, verùm etiam vobis, Toruneses, Templum D. Ioannis, ædesq; Parochiales, super quibus Iura Patronatus æviternis temporibus vobis competunt, quantum in illo fuit, intercipere voluisse.

De administratione Bonorum Ecclesie D. Joannis sic Parochus, Capitulum Culmehense, & Reverendissimus tum temporis Episcopus Culmensis cum Torunesibus contraxit, ut exactis Viginti Annis se se mutuo subsequentibus vel hanc ipsam administrationem in ea, quæ ab ipsis Arrendæ loco promissa est, Summā, retineant, vel de novo inter illos conveniatur, vel si conveniri non poterit, perpetuā administratione ad rationes Reverendissimo Ordinario Loci præstandas, proventus omnes ipsi obtineant. Hec Transactio ab Episcopo Culmenſi & Capitulo Culmense in vim perpetui roboris confirmata, à Iesuitis eo ipso vitiata est, quod illi Templum Parochiale Collegio suo Iesuitico incorporari fecerunt, eo quipso Iurisdictioni Episcopi Culmensis Capituliq; Culmehensis illud cum omni dote ejusdem exemerunt, & potestati Provincialis ac Generalis sui subjecerunt: Plebano, à S. R. Majestate vel à Torunesibus alternatis vicibus præsentando, perceptionem reddituum & frumentum dotis Ecclesie interverterunt, suoq; Vicario assignatam esse voluer-

voluerunt: Ac incorporatione Templi ejusdemq; dotis Ordini Jesu-
itico facta, administrationem ejusdem perpetuam, Torunensibus vi-
gore Transactionis prædictæ competentem, intercipere conati sunt.

Videris, ô boni viri Jesuitæ, quām vos sapiissimè in hanc Regulam
impingatis, Mendacem oportet esse memorem, & quantopere vos æ-
quivocationibus vestris, dictorum vestrorum immemores, frustra ve-
stram malitiam palliare annitamini. Omnia in unum chaos
misceri & confundi oportet, si ita Jesuitis placet. Quis vobis Fe-
suitis imposterum aliquid negantibus fidem adhibebit? cùm tam aper-
tè sed æquivocè, quod apud vos artis es, mentiamini. Duro
quidem vocabulo contra vos utor: Sed cùm Oratio vestro nomine
conscripta non erubescat Torunenses aliquoties impudentiæ & men-
daciæ apertè accusare, non videor vobis, jure talionis in vos reto-
ro, facere injuriam. Ubi nunc vestra præconia & triumphi? Non
potestis ostendere, boni viri, aliquid hoc in genere à Je-
suitis peccatum esse.. Scilicet, si vestris æquivocationibus fides
haberetur: De qua arte æquivocè mentiendi tractat prolixè Toletus
vester Socius lib. 4. Instr. Sacerd. cap. 21. sic inquiens: Si crimen
omnino occultum est, de quo quis interrogatur, tunc interrogatū æqui-
vocatione uti posse, Nescio, intelligendo intra se, ut dicam tibi; vel,
Non feci, intelligendo, Nunc non feci, vel simile: Itemq; Gregor.
de Valentia Tomo 3. disp. 5. q. 13. de Reo: Quandocunq;,
ait, iniqua interrogatio fit, etiam si juramentum acceperit, nullum
ramen committetur perjurium, quamvis juramento affirmet alium
aliquem sensum, verum alienum ab interrogatione, talis non men-
titur, nec vanè usurpat nomen DEI, siquidem ad se vel sua tuen-
dum id facit. Sic Campianus Jesuita in Epistola sua ad
Consiliarios Reginae Angliae Anno 1583. Treveris impressâ do-
cet: Loquendum es tibi cum aliis, affirmandum juramento, quod
ceteri affirmant, Etiam si animo longè aliter opineris, etiam si Con-
scientiâ contrarium planè senseris. Hanc doctrinam vestram
Navarrus Azpilcueta, doctrinæ vestre patronus, super quodam
insigni facto S. Francisci, Laronem præteriisse (per manicam sci-
licet

licet suam subintelligendo) coram apparitoribus Magistratus eum-
dem Larronem insequentibus negantis, fundatam esse in c. humanae
aures 22. q. 5. gloriatur. Sed annon Aequivocationem
vestram super facto Apostoli Petri, Christum coram servitoribus Ca-
iphæ & ancilla, etiam interposito juramento, abnegantis, fundatam
esse rectius quis dixerit? Nempe enim Apostolus Petrus, secundum
doctrinam vestram, illis, qui nec Judices Petri erant, nec ullam le-
gitimam interrogandi caussam habuerunt, veritatem, se scilicet Chri-
stum nosse, exponere non tenebatur, & nihilominus tacitum hunc
intellectum in sua mente habebat, quod Christum nosset, sed non
ea intentione, ut hoc ipsum Caiphæ servitoribus & ancillæ revelareret.
Quid vero de hac negatione Peperi Augustinus contra Mendac. ad
Cresc. Cap. 6. sentit? Petrus inquit, intus veritatem tenebat, sed
foris mendacium proferebat. Item in Tract. suo de Mendacio
Cap. 3. quod Petri lachrymæ potius, quam negatio sit imitanda.
Videte boni Viri, quomodo Aequivocationes vestras Augustinus
Mendaciorum titulo excipiat & ornet. Dignum patellâ ve-
strâ operculum.

De Templis, que Torunenses possident, non est vestrum, Je-
suitæ, cum Torunensibus expostulare, nec meum est illorum Jura
pacifice possessa defendere, aut eorum nomine aniles vobiscum rixas
frustrâ terere: Sufficit, illos Templa ex Antecessoribus suis possi-
dere, & ibidem Religionem Euangelicam à D. Sigismundo Au-
gusto Rege & haerede Regni Poloniae, ceterisque Serenissimis Regi-
bus approbatam, Confœderationeq; totius Regni, contra quam Vos
canum latrantium more blateratis, confirmatam, ex Privilegiis Re-
giis exercere: Non est vestrum ex Gallia relegatorum, statum &
Religionem Civitatis Torunensis immutare: hoc potius agite, ut
maculam Ordini vestro justissime, tam ratione haereseos, quam ra-
tione parricidiorum Regum & Principum, aspersam spongiam emenda-
tioris vitae & doctrinæ abstergatis. Non videtis manticæ, quod
à tergo est; Vesta curate, nec in alienam messem falcem mittite.
Sed Curiositatem vestram & hoc repræsentat, quod impuden-

ter fingitis, Romano-Catholicos odio religionis nec ad fūs Civitatis nec
ad Opificia à Torunensibus admitti; Pauperes, qui in Nosocomiis alun-
tur, ad Euangelicam religionem compelli. Contrarium Cives &
Pauperes Romano-Catholici, quorum magna Torunii est in Noso-
comis copia, loquentur, & vos falsitatis apertè arguent. In
vos haec quadrant, qui Posnaniæ & Warsaviæ eò rem deduxistis, ut
nullis Euangelicis fūs Civitatis concedatur: Circumeat, quicunq;
voluerit, Nosocomia pauperum, inveniet, plerosq; pauperes in illis
Romano-Catholicos esse, & ex liberalitate Civium ali & sustentari:
Ostendite mihi, Jesuitæ, vel unicum in toto Regno Nosocomium,
ubi vestro imperio res aguntur, in quo Euangelici locum habeant, &
à Romano-Catholicis sustententur.

Quod autem Torunenses familiam suam Templum Parochia-
le adire prohibent, si faciunt, sanè recte faciunt. Memini enim
me audire, ancillas Civium Confessiones vestras ut plurimum ex cer-
tis causis aversari, & Patrum Dominicanorum modestiam vobis ante-
ferre, eò quod aures vestras titillatione & pruritu quarundam Quæ-
stionum, vestro Ordini non convenientium, ac secundum normam
Cardinalis Francisci à Dietrichstain in Confessionibus audiен-
dis erecti Speculi, multâ obscenitate referti, Olomucii in Moravia à
Georgio Handl Anno 1606. impressi (in cuius praxi diligenti-
que in peccata occulta, ab illis ne cogitata quidem unquam, inquisiti-
one, Vos nimium scrupulosos esse Ancillæ Torunensem conquerun-
tur) conceptarum, delibutas reddatis, cum summo piarum auri-
um scandalo.

Quod ad Actus Processionum attinet, de quibus
tu multa garris, sic tibi respondent Torunenses ipsimet in Reprote-
statione sua Radzini nuper Actis insinuata, Se pompam solen-
nem Processionum Plebanio intra metas & terminos consuetos nun-
quam interdixisse, multò minus Eam, ut tu impurum os alleges, o-
re impuro & incesto lacerasse, sed quenq; Religione sua intra suos li-
mites libere uti permittere: Quod autem Vobis Jesuitis vestrisq;
Scholaribus per Urbem spaciari non concedant, id fieri non Religi-

onis impedienda ergo; cum vobis Torunio absentibus salva nihilominus Religio Romano-Catholica & fuerit & esse possit; sed publici Juris causâ. Vident Torunenses, Vos, quibus nulla Collegii vestri fundatio in Civitate Torunensi competit, per vim Vobis Ius quoddam foundationis ascribere, litisq; occasiōni, velut Larum piscibus, inhiare, ut, si vel minima alicui ex Nobili Juventute, Scholaribus vestris caussam tumultui dantibus, illata fuerit à quoquam injuria, ansam habeatis contra Torunenses declamandi, Tribunicias Conciones habendi, ad arma concitandi eos, qui vestra factionis sunt, Quod egregie nuper comprobasti.

Nil egerunt amplius Torunenses, quam ut, quia monitionibus præviis, de intermittenda Procesione in foro publico Civitatis inusitata, apud Vos & Plebanum, cuius operâ hac in parte abusi estis, & ille metu vestri aliquid vobis indulgere coactus fuit, nihil profecerant, aditus ad forum publicum catenâ præcluderetur: Vos autem præfracto animo in barbam, ut ajunt, Civitatis ad catenam usq; proceſſionaliter progressi estis, ibidemq; catenam per Scholares vestros amovere nixi; sed bonis modis remoti Protestationem satis prolixam legi curastis, parati ad cauſam, & tumultum excitandum, accedentes.

Nullum ibi turbarum vel tumultus indicium intercessit; quod vel NOVA vestra TORUNENSIA tacite comprobant, Ubi Scholares Parochiales suo ordine dispositos retrò per Editum (quem ab uno ex Consulibus plagiis exceptum esse, vel ipso Edituo teste falso afferitis) reducetos in Templum rediisse affirmatis: quem ordinem interruptum fore, si tumultus aliquis intercessisset, quis non videt?

Quantas autem calumnias de Torunensibus disseminatis, & quam acerbè eosdem tractastis in vestris illis NOVIS TORUNENSIBUS? Qui Ea legit, mirari satis non potes vestram impudentiam, & summan Torunensiū patientiam. Magistratus tum fuit in Consiliis publicis in Prætorio: Vos autem fingitis, ipsummet Proconsulem & ex Consulibus nonnullos tumultui interfuisse, & acclamationibus suis incitasse populum ad cædem & sanguinis profusionem. Quis non inteligit hoc esse figmentum? Si enim Proconsul eam animi sui significatio-

cationem multititudini ostenderet, jam dudum de vobis, Jesuitæ, actum fuisset. Pudeat vos hujus mendacii, cuius in Protestatione sua, à vobis itidem facta formataq; Plebanus mentionem facere ausus non es. Alterum & quidem crassum figmentum in Novis vestris fuit, Opifices cùm securibus, malleis, pugionibus, fustibus, lapidibus accurrisse, & quendam Presbyterum ex Ordine Dominicanorum strieto pugione modo non interfecisse. Quam Tragœdiam, à vobis in odium Civitatis Torunensis factam, Plebanus in Protestatione sua in Comœdiā & latam Catastrophen convertebat. Ait enim, se cum Cantu, expeditâ Protestationis lectione, à catena ad Ecclesiam reversum esse: quem Cantum Plebani rùm à catena recentis hunc fuisse accepi:

Wadzmyż wskyę weseli/ Jako w niebie Anjeli.

Czegosmy bo ſukali/ Czegosmy doczekali. Alleluja.

Quòd si pugiones, mallei, lateres, secures, fustes, lapides, aut tale quid intercessisset, quis non animadvertisit, Plebanum & Vos Jesuitas Canticum fuisse oblituros? Sed videmini nacti esse occasionem ægrè faciendi Torunensibus falsâ vestrâ NOVORUM mendacissimorum narratione. Videte sub calcem hujus Orationis meæ, quid Torunenses in sua Reprotestatione Radzini insinuatâ ad vestram Protestationem respondeant, quam publici juris facere volui, ne mendacia vestra, quæ aliâs fertilia esse solent, animos rectè de Torunensibus sentientium præoccupent, illisq; injustam invidiam concilient. Minaris, Jesuita, te alia commemorare, eademque amplificando ostendere posse, quòd Torunenses nihil aliud agant, quàm ut quacunque tandem ratione Romano-Catholicam Religionem opprimant. Non puto, te Torunensibus ita benè cupere, ut, si quæ nosſes, ea in honorem ipsorum reticeres, cùm hactenus nihil aliud egeris, quàm ut crassis mendaciis illos aggravares, & teipsum illis involveres.

Ad ALTERUM CAPUT, quod ex Literis Torunensium de Domo Parochiali secrè tibi refutandum proposuisti, jam à me responsum es, cùm Domus Parochialis eodem, quo Tem-

plum, jure nitatur. Non possum autem sicco pede transire vestram de Confirmatione S. R. Majestatis & Episcopi præsumptionem. Esto, Vobis à S. R. Majestate concessum esse Privilium: Sed nec ipsi negare potestis, Torunensium Privilium esse prius & antiquius, quod etiam Decreto S. R. Majestatis confirmatum est, in quo haec Clavis continetur, quod excepta possessione cessa Plebano, cetera Torunensium Jura super Templo ejusdemq; attinentis salva esse debeant. Vides, Jesuita, Privilium vestrum, cuius ipsi Correctionem postulatis, utpote ad male narrata obtentum, consistere non posse. Non incusant Torunenses S. R. Majestatem, quæ tenacem omnium Priviliorum Civitatum memoriam habere nequit, sed vos incusant, qui intergum Civitatis Privilicia ejusdem eversa vestraq; libidini exposita esse cupitis. De Confirmatione Episcopi totus dubito. Putasne, Jesuita, Reverendissimum Episcopum, in tua gratiam, manus & Sigilli sui totiusq; Capituli fidei derogaturum. Aliam ego de fide Reverendiſimorum Episcoporum concepi existimationem: & siquid tale intercessisset, demonstravi suprà, contra datam fidem, & Transactionem scriptis conceptam perpetuam, Sigillo Reverendissimi Episcopi & Venerabilis Capituli Culmehensis munitam, attentata vestra nullius esse momenti. Memini vos eo de negotio apud Capitulum Culmehense egisse, quod, pro singulari sua prudentia, animadvertisens, Episcopo Loci & Sibi Spiritualem jurisdictionem super Templo ejusdemq; attinentis per Privilium vestrum intercipi, repulsa vos pati jussit.

Quaris, Jesuita, quid intersit Torunensium, quòd Parochus Ecclesiam suam hoc vel illo modo administrat? An non liceat illi facere, quod ex re & commodo Ecclesie suæ illi esse videtur? Jam autem tibi respondi, non licuisse Markowio Plebano, ut Ius reale vobis abscederet super Templo, & quidem perpetuum, quod ipse non habuit, cum ipsem ipsumfructum duntaxat Parochiæ atq; ita Ius personale ad vitam habuerit, & Furi Patronatus Civitatis hoc è diametro repugnet, utpote cum Markowio defuncto Ius presentandi Plebani ad Torunenses vigore Juris subalter-

subalternati devolutum sit. Addo, non licere Plebano, quicunq;
ille sit, Turbatores Pacis publicæ & hostes Civitatis in Civitatem
introducere, cùm Civitates propterea fundentur, ut non tantum ab
externo hoste, verùm, quod magis es^t, ab interno hoste, liberae se-
curaq;^s sint. Addo & hoc, non licere Plebano eos in auxilium
suum recipere, qui Plebanum, cuius Magistratus Torunensis Patro-
nus es^t, eumq; ab omni injuria defendere tenetur, ex Domo Paro-
chiali ejiciunt, possessionem Templi sibi vendicant, nihilq; aliud Ple-
bano nisi nomen inane relinquunt. Interes^t autem Torunen-
sum, ut Antecessorum suorum Privilegia sarta testa^{q;} conservent;
Jura Patronatus, quæ magno illis constiterunt, super Templo ejus-
demq; Domo Parochiali & aliis attinentiis, bona fide per manus An-
tecessorum ad se translata, ad posteros quoq; transmittant. Inter-
es^t illorum, ut Parochus, non Jesuitæ, in Templo jurisdictionem
suam spiritualem exerceat. Interes^t, ut cum Beneficiorum ad
Templum spectantium partim Reverendissimus Episcopus Culmenensis,
partim Magistratus Torunensis, partim certæ familiae & fraternita-
tes in Civitate, Jura Patronatus habeant, ut ea omnia in antiquis
terminis custodiantur, nec in potestate Jesuitici Vicarii sint. In-
teres^t, ut populus ad obedientiam erga Magistratum, non verò ad
seditiones incitetur. Interes^t Torunensem etiam eo nomine, quod
Torunenses cum S. R. Majestate, non verò cum Jesuitis, Jus Patro-
natus subalternum habeant. Deniq; interes^t, ne ad reliqua^P rivi-
legia uno quasi i^ltu evertenda Jesuitis fenestra aperiatur. Hoc
autem Parochio integrum es^t, ut ejusmodi Sacerdotibus utatur, quibus
ille præst^e & imperet, non cui male feriati Jesuitæ imperent, & à
quorum imperio Parochus dependeat. De precario titulo mul-
ta garris, Jesuita: Sed in Literis Torunensem non video, Toru-
nenses affirmare, se Templus precario titulo Plebano concessisse,
cùm vigore Decreti Regii cesserint, salvâ tamen suâ super Templo
habitâ Prærogativa seu Jure Patronatus. De Schola
precario concessa Torunenses loquuntur. Hæc enim Schola Ci-
vitatis hæreditaria es^t, & precario, non, ut tu interpretari videris.

ex donatione quadam, sed ad beneplacitum Torunensem Plebano
est concessa. Hac enim Schola ad Parochiam nunquam perti-
nuit. Illic enim Schola Parochialis fuit, ubi jam Organicas
Parochiae habitat, haec cessa est Parocho, vigore Decreti Regii.
Illa autem, quam vos occupastis, & ad Civitatem jure Dominii per-
tinet, precario seu ad beneplacitum Civitatis Plebani usibus indulta
est; idq; aliter se habere, quam ut modo dictum est, vos nec tabu-
lis nec Decretis ullis unquam probabitis. Ne autem fabulas me-
loqui existimes, Privilegium super Schola eadem & mihi aliquando
Torunenses ostenderunt, & proculdubio ostendent cuivis.

Inquis, jesuita, Scio, quid vobis displiceat: quosvis po-
tiūs quam Jesuitas Torunii videre maluissetis: quippe à
quibus plus, quam ab aliis, vestro Luteranismo timetis.
Quod primam partem hujus paragaphi attrinet, video te emunctas
nares habere, & mentem Torunensem facile subolfacere. Nam

Vos Ore coaxantes Ranas, & corde Leones,

Et Vulpes technis, & feritate Lupos,

ac, ut tribus verbis complectar, Nigros Incarnatos Diabulos esse
existimant, ac proprieatā sibi à vobis carent. De altero non admō-
dum sunt solliciti, cum nemo Torunensem sit, qui vos aut vestram
doctrinam admiretur: quinimò Romano-Catholici vos ex fructibus
vestris estimantes magno numero a vobis Torunii ad Ecclesiam Eu-
angelicam discedunt, quippe Vos, non ad Concionandum sed ad Con-
viciandum natos, nihil aliud pro concionibus tractare vident, quam
Torunenses execrari, diris devovere, in Magistratum debacchari,
in Cives convitiorum planstra ex animi impotentia seu potius ves-
tia exonerare, eosdemq; homines ex trivio, paganos, rancidos canes
appellare, Nobilitatem contra Civitatem concitare, & ut illos in
itineribus male trahent, suadere, nihilq; intentatum relinquere, quod
ad Civitatis perniciem vergere queat. Has vestras plus quam
histriorum gesticulationes Romano-Catholici animadvententes, sic
colligunt, Vos non esse mites spiritu, non esse sedatae mentis, quales
Sacerdotes esse decet, 2. Tim. 2. infi. Rom. 12. Philipp. 2.

Ephes.

Ephes. 4. in si. Coloss. 3. sed velut canes catene alligatos impati-
entes in furorem pro concionibus concitari, Sathanæ primi vestri
parentis naturam, tam quoad aequivocationes & mendacia, quam
quoad belluam inhumanitatem, induere, nihilq; aliud nisi minas
spirare, personalia tractare, & sanguinem fitire: Quod cum in vobis
animadvertisunt, nuncium vobis & doctrinæ vestræ remittunt, & sic
à vobis divortium faciunt. Quod si Romano-Catholici jam To-
runii vestram naturam nosse incipiunt, quid vobis imaginamini,
Torunenses plus à vobis, quam ab aliis, sibi Religioniq; suæ ortho-
doxæ timere, quibus vestræ Jesuiticæ Regulæ dispositio ad unguem
explorata es? Non potuit hic Jesuita arrogantiam Ordinis sui,
quasi ab illo plus sibi Torunenses, quam ab aliis Clericis, timeant,
silere; quoipso cæteros Clericos tacite ignorantia cuiusdam accusat,
eosq; longo intervallo post Ordinem suum relinquit, suos autem homi-
nes aliis excellentiores & eruditiores Torunensibus ostentat, secun-
dum illud: — Nos Poma natamus: Cum inter vos Jesuitas, si
unus ex viginti Sociis excellentiorem Sophistam agit, ceteri quoq;
fratres ignorantia ut plurimum esse soleant. Arrigite autem au-
res & animos Torunenses, quid Jesuitæ aliquando, si, quod absit,
Torunii ipsorum imperio res ageretur, de Vobis fieri velint: Gla-
dio Pauli, si verbum prætensi Successoris Petri nihil apud vos pro-
ficerit, vos eradicaturos minantur: & quid in mente ipsorum consiliï
natum sit, vobis exponunt, Salvatoris nostri, cui talis processus nun-
quam in mentem venit, dicto abusi. Sic enim inquit Jesuita:
Nihil tamen agitis, boni viri. Fixum sit illud oportet,
quod Servator noster edixit: Omnem plantationem, quæ
ab alio, quam à Patre cœlesti sata est, eradicatum iri. Si-
ve id per Jesuitas, sive per quosvis alios fiat, certum est,
Lutherum vestrum, cum sua pestilenti doctrina, æterno si-
lentio obruendum, idemq; illi eventurum, quod aliis evê-
nit. Hic se Jesuitæ vestros apertos hostes esse profitentur, qui
eò consilia sua intendunt, ut vos cum Lutherò eradicent. Matu-
re itaq; his consiliis perniciosissimis Jesuitarum obviam ite. Non
cogitant

cogitant Jesuitæ, quid Deus in cœlis disposuerit, & quod ille consilia eorum rideat, ut qui Cœlum & Terram ruitura, Verbum autem DEI (quod Euangelici, utpote divinitus inspiratum, 2. Tim. 3. exoscularunt; Jesuitæ autem, horreo dicere, illud, si authoritas Pontificis Romani non accedat, equiparant Naso cereo, Fabulis Aësopi, libello abecedario, & Librum Hæreticorum in initio, medio, & fine lacerum, ac literam occidentem appellant) in aeternum cum Ecclesia, Verbum DEI profitente, mansurum, nobis Prophetæ loco reliquit. Utinam omen istud, quod in cerebro vestro natum est, Deus in vos Jesuitas convertat! Sed manum de tabula.

Ad TERTIUM PUNCTUM Orationis tuae,
Jesuita, me converto, nimirum ad erectionem Seminarii Jesuitici, quod Torunenses ex his rationibus Torunii consistere non posse docent. Sic enim in Literis suis ad Conventum Szrodensem & Proszovensem scribunt: Jesuitæ novam Jurisdictionem in Civitatem introducere gestiunt, & non solum Ipsi se, sed etiam Scholarès suos, à Magistratus Secularis Jurisdictione-exemptos esse volunt, à qua nemo hactenus cujuscunq; conditionis in Civitate delinquens in recenti crimine, & ratione recentis Contractus, vigore Constitutionum Terrarum Prusiæ, Statuti Torunensis, & Privilegiorum Civitatis Torunensis, exemptus fuit: Nec tales Exemptiones in Civitatibus Majoribus, ubi Emporia sunt, & variij generis homines in negotiationibus suis occupantur, tolerari ullo modo possunt. Si enim Scholarès Jesuitarum, qui nullis Legum frenis sese coherceri patiuntur, teste Cracovia, Posnania, Vilna, Braunsberga, ceterisq; locis, ubi Collegia Jesuitarum fundata sunt, turbas in Civitate Torunensi darent, Civem aut peregrinum vulnerarent, cum Civium filiis congrederentur, ne quid pejus ominemur, Civibusq; & peregrinis nulla omnino apud Magistratum hujus Civitatis contra illos Justicie impetranda spes esset, quorsum turbæ istæ sint evasuræ, quivis facile; qui rem sano judicio perpendit, intelligit. Quæ omnia licet Magistratus præcavere non posset, fieret tamen, ut Jesuitæ, ex odio in Civitatem concepto, omnem in Magistratum culpam derivarent.

rent. Hinc obrectationes apud S. R. Majestatem, Statusq; & Ordines Regni, odia Nobilitatis, infiniti Processus, à Jesuitis excitarentur, odiis pleno velo concitatis viarum securitas turbaretur, Cives cum suis mercibus ac personis extremis periculis exponerentur.

Has rationes impugnat Jesuita, inquiens: Si Scholas erigere, est homines Equestris Ordinis cum Civibus committere, sequeretur, in nullam Civitatem studia literarum esse inducenda. Perperam sophisticaris, Jesuita. Torunenses enim vestris Seminarii tantum hoc attributum ascribunt, unde ad omnes Scholas & Academias extendi non potest Conclusio. Vos enim nihil aliud agitis Torunii, quam ut Nobilitatem committatis cum Civibus. Scitis enim, Torunenses non facile injuriæ Scholarium vestratium passuros, atq; inde datum iri vobis perpetuam occasionem lites cum Torunensibus exercendi, quibus cum per vosmetipso nihil agrè facere possitis, in odium eos Nobilitatis adducere omnibus viribus enitimini. Alia quoq; Torunensem & aliarum Civitatum est ratio. Ubi enim homines diversæ Linguae & Religionis cum Seminario vestro concurrunt, actum est de Pace publica, quod proximus Actus Posnaniensis luculenter ostendit.

Scilicet, inquis, Equestris Ordo non utetur jure suo, nec liberos suos erudiendos mittet Torunium, ne bonis hisce viris aliqua creetur molestia. Audi Jesuita, Sciunt Torunenses, quomodo Nobilitatis jura venerari debeant. Concederésne tu Nobilitati, ut in Collegio vestro, quicquid vellet, ageret? vel, fieretne hoc cum bona gratia Nobilitatis, ut in eorum Civitatibus vel Prædiis Torunenses Scholas erigerent, quas suis usibus ibidem accommodatas esse putarent? Vix tu Nobilitati aliquid concederes, vel Nobilitas in Torunensem gratiam aliquid de jure suo cederet. Scito ergo, Torunenses melioris, quam Vos, esse conditio-
nis, eodemq; ut homines liberos cum certis Pastis & Privilegiis ad Regnum accessisse, nec tua vel alterius esse mancipia: Cum Vos ex Gallia Relegati precariam possessionem in Polonia sicut nati. Non arrogat sibi Nobilitas hoc Juri, in Civitate Torunensi Scholas eri-

gere, cum ea libertatum suarum tenacissima, etiam alii libertates suas non invideat, quod vel Fabricius vester in Literis modo praemissis innuit, dum inquit: Pro Scholis Torunii aperiendis plurimi ex Nobilibus instant penè quotidiè apud Nos: verum ipsos negotium agere cum Civibus jubemus: Vos ad inducendum causæ vestrae fucum Nobilitatis titulo semper abutimini. Scito Jesuita, Torunenses cum suis Antecessoribus non propteret fundasse Civitatem, ut vel tu in ea, quicquid velles, status res, vel tui Ordinis homines perniciösissimæ superstitionis in ea dominarentur. Licitum est Torunii Nobilitati quævis licita agere liberosq; suos erudiendos præbore, citra tamen præjudicium Privilegiorum Civitatis, & salvâ ejusdem Jurisdictione, quæ, Vobis ibidem consistentibus, salva esse non possunt. Crassum est vestrum caput, aut sane plenum malitia, qui hoc non intelligitis, aut non vultis intelligere. Non negant Torunenses, se esse Civitatem Regiam, & si Regia est, Regis quoq; Privilegiis consistit, quæ talia sunt, quod Civitas Torunensis in eo statu manere debat, in quo fuit sub adventum augustissimum modernæ S. R. Majestatis, ubi tum Torunenses pluriq; nec vulcum nec culum vestrum viderunt.

Quod autem à te asseritur, Nobiles petiisse in Comitiis per Nuncios, ut Scholæ Torunenses aperirentur; vestra hæc Jesuitarum fuit fabrica, quam nunc in Nobilitatem rejicitis. Quod si quidam Nobiles ex certis Provinciis ursere Scholas, cur illi quidam in suis Provinciis eas non erigunt? Quia ita vobis Jesuitis non videtur. Quid si ego tibi opponerem; Cum Constitutio vestra reassumpta lecta esset circa Comiticorum conclusionem, maximā partem Nunciorum Terrestrium, qui tum fuerunt Euangelici, illi Constitutioni contradixisse? An non putas, Torunensibus, tum temporis in Comitiis præsentibus, rem hanc penè probez innotuisse?

De Jurisdictione Torunensium, quatenus illa, Seminario Jezuitico ibidem stante, Civitati salva esse non posse, non negat Jezuita, id eventurum, quod Torunenses metuunt, sed obstrepit Toru-

mensibus, quasi illi melioris velint esse conditionis præ aliis Civitatibus.
Quid si velint? propterea sunt incusandi? Nullo modo, dummo-
dò extra fines Privilegiorum suorum non excedant. Non omnes
Civitates iisdem Legibus & Privilegiis continentur, sed unaquaque
sua habet Jura, ac propterea Tu à generali omnium Civitatum
conditione argumentando nihil agere videris: Aliás contra Vos
Féspuitas ita argumentari liceret; Si Monachi omnes, claustris suis
inclusi, à Politicis negotiis excluduntur, cur non Féspuitæ eodem mo-
do claustris Monasteriorum, à generali conditione Monachorum pe-
tità consequentiâ, includantur & à Politica polypragmosyne arce-
antur, quod esset consuliūs, quam ut hermaphroditarum naturam
induentes mixti fori esse censiq; velint.

Queritur Féspuita, Scholares ipsorum carceribus com-
pingi sine Judicio. Quòd compingant, rectè faciunt: quòd si-
ne Judicio, Tu vix ac ne vix quidem docebis. Exemplum af-
fers de quodam Cívis filio à Vobis Féspuitis, ut, Patre Matrèq; reli-
cta, Posnaniā versus clàm aufugeret, persuaso. Egregium ve-
rò virtutis vestra exemplum narras; satis fuisset te tacere; Illi,
quorum operā Pater vester Simon Rector ad seducendum boni viri
filium minorenem abusus es, quiq; publicè coram Magistratu To-
runensi, prout tum temporis Torunii existenti mihi relatum es,
in Rectorem vestrum Féspuitam culpam istius seductionis rejecerunt,
& per quos præfatus ille Simon Cívis filium ad se multoties yoca-
vit, & cum eo de fuga adornanda contulit sermones, carceri man-
cipati sunt; Rectene, omnium rectè sentientium judicio submitto.
In crimen Plagii incidisti. Quamvis autem Torunenses tam
moderata castigatione usi sunt, vos tamen ex musca Elephantem fa-
citis: Non extricabitis vos ex illa suspicione per recognitionem
istius adolescentis, quam Posnaniæ, cum in fauribus vestris esset, fa-
cere coactus fuit ad vestrum arbitrium: Consulite Acta Torunen-
sium, coram quibus vestri Scholares apertè sunt professi, ut ex To-
runensibus audiui, quòd omnia fecerint jussu Rectoris, quodq; pri-
die ejus diei, cum aufugeret, apud Rectorem vestrum, ab eodem in-

vicatus, fuerit: Non fecit vobis vim Magistratus, qui iure suo u-
sus est. Duo adhuc exempla proponit Jesuita, in quorum
priore Burggrabium accusat, repulsum esse ab Officio Schola-
rem Jesuiticum, eò quod Scholam Jesuitarum frequentaret; quod
ridiculum esse quis non videt? In altero commendat justitiam Burg-
grabii, quæ tamen non videtur ex omni parte esse facta ad salivam
& gustum Jesuitæ. Ita Vos, Jesuitæ, vultis esse Monachi, Judices,
Burggrabii, & ex vestro arbitrio vultis omnia dependere. Sed
audi Iesuita, quis Torunensibus præstítit justitiam de vobis, qui Ma-
gistratum & Cives vocatis homines de trivio, canes rancidos, & pa-
ganos? vel de Scholaribus vestris, qui tot tumultus in Civitate
excitarunt, in plateis homines lapidibus petiverunt, extra Civita-
tem juxta Vineas filium Civis male tractarunt, & quoridicè ferè cum
Civium filiis & aliis opificibus manus conserunt? Siccine inulta
omnia vobis erunt? Siccine, quos Regia Majestas Fidelium suorum
dilectorum loco habet, vobis Suitis contra eos Suum instar grunni-
re licebit? Cavete vobis, ne duro nodo durus sit querendus cuneus.

Tumultus à Scholaribus in Civitatibus, ubi sunt Scholaræ Jesuitarū,
non negat Iesuita intercedere, sed excusat, quod ipsi quidem pro-
videant, quantum poslunt, ne fiant tumultus: verum se o-
mnino præcavere non posse, cum non habitent cum illis,
nec eos semper comitentur: quid ergo mirum, si quidpi-
am nonnunquam accidat, quod illis displiceat, præsertim
in tanta multitudine, quanta in Scholaris esse solet? Hæc
Iesuita. Hac vos excusatione palliare soletis vestram mali-
tiam; hoc ipsum est, quod conqueruntur Torunenses, Vestri esse in-
stituti, Scholarium vestrorum licentiā ad ægrè faciendum Torunen-
sibus abutis, & postea in ORAENA Homericum seu NEMINEM
culpam rejicere: quam vestrorum Scholarium licentiam proculdubio
Torunenses toleraturi non sunt, cum vos non tantum sub discipli-
na eos continere non possitis, verum etiam in odium Civium iisdem
frena disciplinæ laxetis: Quamvis rigorem vestræ disciplinæ
magnum esse conceris persuadere, quod nunquam ferat impunē,
quis

quisquis est, & si disciplinæ impatiens est, gymnasio & consuetudine aliorum prohibeatur. Quid si vester Scholæ aliquem vulneraret, mutilaret, aut occideret, quod Braunbergæ accidit, fenestras Civium excuteret, ignes subjiceret, ut Posnaniæ factum, putasne, Iesuita, tale facinus ferulæ vestræ aut Excommunicationi Scholasticæ subjectum iri? Egregia sanè esset proportio delicti & pænae. Quod si Torunenses stricto jure procederent contra ejusmodi pacis publica violatorem, annon existimas, Nobiles cum Civibus commissum iri? Hoc ne fiat, cùm Torunenses Nobilitatis observantissimi sint, & omnem vel leviusculæ offendæ occasionem vitent, consentire nec volunt nec possunt, ut vestrum Seminarium Torunii sit. Suaderem proinde vobis, Iesuitæ, ne idem vobis accidat, quod suavit quondam unus ex Crucigeris, Non posse Civitates Prussicæ à Crucigerorum Dominatu in libertatem citius & solidius sese vindicare, quam si nidos illorum discutiant, ut Seminario vestro obdatis pessulum. At inquit Iesuita, Hoc si fit alicubi, quod tamen rarum est: Scilicet: Torunensibus tamen nihil hactenus molestiæ creatum fuit à literarum studiosis. Negat ea, quæ oculis omnium sunt exposita, nisi forte tu rapinas, invasiones, incendia, quæ alibi commissa, Torunii autem nondum audiuntur, tantum injurias vocare velles. Urget Iesuita. Esto sanè, periculum Civitati inde creari, quod, cùm aliæ Scholæ Torunii à Civibus institutæ sint, quæ diversam à Jesuiticis sequuntur religionem, fieri non possit, quin aliquando ex æmulatione Scholares inter se bella gesturi sint; atq; ita perpetuam in Civitate, cum gravi ejus detimento, dissensionum materiam futuram: æquius tamen esse, ut ex Civitate facessant illæ Scholæ, quas Cives instituerunt. Nugas proponis Iesuita. Cupis enim fortasse, ut Cives cum Scholæ Civitate discedant, vestriq; Ordinis arbitrio omnia relinquant. At Torunenses tibi respondebunt, æquius esse, Te cum toto tuo Ordine ex Regno Poloniae exulare, quam ut Illi tuo Ordini Scholæ cedant; quippe cùm Torunenses non levem,

quantum in illis fuit, in eo præstiterint tori Regno Poloniae operam, ut tanta accessio Terrarum Prussiae ad Regnum facta sit: Vos autem quid ex Gallia Relegati in Poloniam importastis boni? Magnum quidem possem referre cumulum Calamitarum, quæ in Polonia ex vestro adventu nate sunt: sed cum ea lippis & tonsoribus nota sint, referre eadem supersedeo. Aequius es, Civium filios ad pietatem in sacris Scripturis fundatam erudiri in Civitatis Scholis, quam Vos novos homines & maleficæ superstitionis (hic vester est titulus in Pyramide Parisiensi) Scholam in eo loco, quem mala fide, suppresso Torunensium jure hereditario, occupatis, erigere. Cum itaque Iesuita, decernas, Scholam unam alteri cedere oportere, puto vos, Torunenses, antiquiori & meliori jure Scholam Iesuiticam novam removere, & vestram, quæ tot seculorum præscriptionibus, Magistrorum Ordinis & Serenissimorum Regum Poloniae Privilegiis confirmata es, retinere posse. Non desinit autem Phantasma nugari, Torunenses Gymnasium erigendo regiam potestatem sibi vendicare. Si tu non es Afinus ad lyram, non creares inania verba. Schola Civium Torunensium erecta fuit Torunii prius, quam Borussi ad Regnum accederent. Accesserunt autem Torunenses ad Regnum salvis Scholis caterisq; Juribus & Prærogativis suis.

QUARTO LOCO, iniquum Jesuitis videtur, quod Torunenses querantur, Jesuitas per viam Testamentorum & Donationum, itemq; titulo Emtionis, ædes Civiles Collegio suo acquirere. Eccui, inquis, Iesuita, criminis unquam datum est, quod aliquid emerit, modò id fecerit sine vi, sine dolo & sine cuiuscumque injuria? Concedo tibi, titulos Emtionis, Testamentorum & Donationum per se esse justos titulos, nec quicquam criminis in se habere: verum hoc tibi non concedo, Jesuitas possessiois ædium Civilium esse capaces, obstante Privilegio Iuris Culmensis, quod tori Culmenji Terræ à Magistro Ordinis Crucigerorum in viam perpetuitatis & loco singulari cuiusdam Prærogativæ indultum est, cuius verba haec sunt: Promisimus etiam, ut in eisdem Civi-

Civitatibus nullas domos emere debeamus: Si vero quis domum aut aream suam Domui nostrae contulerit, intuitu pietatis, eam ad alios usus construere non debeamus, nisi ad quos aliquis ex Civibus construit domum suam, & eadem exinde jura & consuetudines observare, quæ & quas alii de suis domibus observabunt.

Hinc animadvertis, ne Magistro quidem Ordinis licuisse domum Civilem emere: Si quæ autem domus vel area legata aut donata fuit ad pias caussas, eai ipsa in alios usus converti non potuit, quam in usus Civiles. Tibe
rine, Jesuita, plus juris Torunenses concederent, quam olim habuerunt Domini Terrarum Prussiae? Rationem hujus Prærogativæ, si ignoras, explicabo. Si vestro Ordini liceret aedes Civiles emere pro vestro arbitrio, nonne haec res cum maxima injuria Civitatis foret conjuncta? quippe cum aedes Civiles à Vobis emtas oneribus Ci
vilibus exemptas esse velitis. Hinc Contributiones publicæ vilescerent, hinc vigiliae, quas singuli Cives de singulis ædibus præstare tenentur, in
terciderent, & onus istarum ædium in reliquos Cives derivaretur: hinc, quod maximum est, Jurisdic^{tio} Civitatis omnino interiret. Sic itaq
ue, Jesuita, ex tuam et ipsius concessione judico, has emtiones vestras il
legitimas esse, eo quod cum injuria alterius, tam Civitatis scilicet pu
blicè, quam Civium privatim sint conjunctæ. Nihil dicam de dolo
vestro, quo soletis miseris mulierculas inescare ac viduarum & paupe
rum domos devorare: Unam tantum historiam in honorem vestri affe
ram, quam fallendi temporis gratia legite, & si qui vestrum adhuc
artem istam non callent, ex me, quomodo viduarum hereditates ac
quirere, & cautiū mercari debeatis, discite. Equitis cuius
dam Romani Maximiliani Caffarelli Amita, cuius familie fuit
Cardinalis Borgensis, persuasa à Jesuitis, maximam partem facul
tatum suarum Jesuitis Testamento assignaverat, ita ut etiam suum ex
fratre nepotem prædictum Maximilianum Caffarelli in solidum præ
terierit, ne nominis quidem ipsius in Testamento mentione facta.
Quod cum Equiti illi innotuisset, sed viam sibi cum Amita sua de
Testamento illo conferendi interclusam animadverteret, eo quod Je
suitæ

suitæ, ut vigilantes, non tam ægrotæ quām Testamenti, custodes à dicta
fæmina ne pedem quidem facile moverent: Medicum Amitæ suæ ac-
cessit, eundemq; rogavit, ut, quā horā & quomodo cum Amita suæ
remotis Jesuitis conferre posset, consilium sibi daret. Conclusum
erat inter illos de hora & de modo conveniendi. Circa horam
præfinitam Eques in horto, cui Camera, ei Cubiculo, in quo Amita
ipsius lecto ægropa adhæsit, contigua, adjacebat, se occultavit, &
auditâ horâ sibi destinatâ scalis Cameræ admotis in eam se recepit,
ibidemq; tacitus latuit: Medicus autem Jesuitas monuit, ut pauli-
sper, ne nares ipsorum offenderentur, secederent, prætenditq; se Cly-
sterem Matronæ ægrotani exhibitorum: Jesuitæ vel ipsa verecun-
dia honestate suadente secesserunt: His paululum secedentibus, Me-
dicus Equitem Caffarellum ad Amitam ingredi jubet, qui blandis
verbis eam compellans, cum multis suspiriis & lachrymis uestitus es-
se ab Ipsa omnino præteritum, & omnes facultates Jesuitis collatas
esse, cum se ceu filium obsequentissimum ejusq; tanquam matris ob-
servantissimum semper gesserit. Mota fuit Amita ejus lachry-
mis, & errorem suum agnovit, & ex eodem quæsivit, quomodo res
in integrum restitui posset; Respondit Eques, Testamentum prius
cassari oportere, & se utpote naturalem successorem Hæredem institu-
endum esse: quo nomine Notarium publicum in supra nominato horto
operientem in precinctu habuit, quem re ita deliberata scalarum benefi-
cio in Cameram ascendere debere nutu significavit, & Amita præsenta-
vit: in cuius presentia Amita Testamentū prius revocans, aliud No-
tarium confidere iussit, in quo prædictum ex fratre nepotem Equitem
Maximilianum Caffarelli Universalem omnium bonorum suorum hæ-
redem instituit. Digressis Caffarello, & Notario, Jesuitæ moni-
tu Medici ricißim se præsentarunt, & nec latum pedem ab ægrotæ
recedentes ibidem vigilantes custodes se præstiterunt, donec illa animam
exhalaret. Patres Jesuitæ murem sese in decipula habere exi-
stimantes, frontem latam exporrexerunt, possessionemq; omnium ba-
norum demortuæ occupare constituerunt. Verū Eques revo-
cationem Testamenti Jesuitici, suiq; ut naturalis hæredis institutio-

nem

nem illis ostendens, ita eos confudie, ut non absq; singulari pudore
discedere coacti fuerint. Delata fuit hæc res ad Clementem VIII.
Pontificem, & Paulum V. tum temporis Cardinalem, prædicti Caf-
farelli proximum agnatum, qui hanc Equitis astutam praxin, &
Jesuitarum confusionem satis mirari & risu excipere non potuerunt.
Hæc Historia Romæ ita nota es, ut Jesuitæ nullo modo eam, nisi
fortè in Polonia, secundum illud: Si fecisti, nega, negare non pos-
sint. Sic, Jesuitæ, soletis inescare miserias mulierculas, quæ non
tam pietatis intuitu, quam dolo vestro persuasa, testamentis & dona-
tionibus patrimonia sua vobis conferre consueverunt. Paulu-
lum digressus sum: vereor ne vos offendam; idcirco Orationem tuam,
Jesuita, ulterius pertexam.

Ædes Civiles vobis Torunii emere non licet, vel ratione finis
à vobis præsuppositi. In quem finem à vobis emitæ sunt ædes Ci-
viles Braunsbergæ? O si auderetis Braunsbergenses, magnum cata-
logum querelarum contra Jesuitas in medium produceretis. Sed
quid ibi factum? Ædes à vobis emitas Scholaribus vestris locatis,
Oeconomias extruitis, quicquid in forum publicum commeatuſ ad-
vehitur, Civibus præripitis, Cerevisiam ipsimet coquitis, sartores, su-
tores, pistores, in Collegio vestro, in usus tam vestros quam Scholarium
vestrorum, in præjudicium Civium alitis, atq; ita omnem Civib-
us victus rationem intercipitis. Hæc futura quoq; sunt Toru-
ni, n̄i vos Torunenses mature huic malo obviam ieritus. Non-
ne hujus rei vel jam, ubi fætus iste Seminarii Jesuitici nondum a-
dolevit, vestigia sentitis? Nonne illi, qui antea ligna vestra cæde-
bant, nunc ex Scholaribus vivunt, & commeatum in foro publico vo-
bis vel intercipiunt, vel longe cariore efficiunt? Nonne cerevisiam alibi
coctam, familiam suam Scholarium prætendentes, plusquam familiarem
efficiunt, debaccharionibus parentum ad eam rem usi? Unde quid futu-
rum de Contributione cerevisiaria Regia? Nonne existimatis, Jesuitæ
eodem modo, ut cum Braunsbergensibus, vobiscum acturos? Æ-
des vestras Civiles expertunt, ut Collégium velut novam in Civitate
vestra arcem extinxant, portis extra muros Civitatis patentibus ere-

Eis quod nec Magistro Ordinis quondam apud vos licuit. Sic-
cine, Jesuitæ, ad oppressionem Civitatis titulo Emtionis, Donationis.
Testamenti, vobis abuti visum est? Tituli hi acquirendi Domini-
ni per se quidem justi sunt; Vos autem propter malignam hanc
Reipublicæ vestræ Jesuiticæ dispositionem, possessionum Civilium estis
incapaces. At, cur hoc liceat Anglis, Scotis, ceterisq; exterarum
nationum hominibus, queritis? Ratio est in promptu, quod illi fide-
litatem præstant S. R. Majestati & Regno Poloniae, & obedienciam
Magistratui Torunensi ac onera Civitatis ferunt: Vos au-
tem nec Regi nec Regno, nec Civitati ullo fidelitatis jure aut ne-
cessitudine estis addicti, quinimò hostes estis Civitatis, atq; idcirco
Iure Civium gaudere nequaquam potestis. Opponerem tibi, Je-
suita, vel hanc rem inter Pontificem & Venetos vestro impulsu dis-
sensionem excitasse, ni verendum mihi esset, te Torunensibus impu-
tatum, quasi Jura Venetorum sibi ascribant; sed eadem utrobiq;
ratio. Veneti interdixerunt vobis possessiones jure Majestatis;
Thorunenses autem prohibere possunt Jure suorum Privilegiorum, &
Jure totius Terræ Culmensis Municipalí, imò Jure Gentium, cum
hostes sitis Civitatis Torunensis, qui emendo ædes Civiles nihil ali-
ud nisi oppressionem Civium queritis. Fulminas, Jesuita, con-
tra Thorunenses occasione Templorum, in quibus Religionem suam
Augustanam exercent, & vis, ut eadem, vobis fortassis, restituant,
eo quod Majores & Antecessores Thorunensium, cum Templo & æ-
dificia publica in Civitate erigerent, de Luthero & Calvinio non co-
gitarint, & vocas illos degeneres filios. At ego Fulmen istud
in te retorqueo. Restitutas, Jesuita, Templum & Domum Pa-
rochiale, Scholamq; Civitatis hereditariam Torunensibus & Paro-
cho, à tua Sectæ hominibus occupata, priusquam ad vos dicatur,
Quis novus hic nostris succedit in ædibus Hospes? Exi-
te male fidei possessores. Thorunensibus enim Fundatoribus isto-
rum Templorum & ædificinrum de Jesuitis & eorum Collegio ne per-
sonum quidem in mentem venit. Quis vobis eam dedit po-
statem, ut omnia Antecessorum Thorunensium instituta rescindatis?
Poffess

Posseffores fuerunt Torunenses istorum Templorum ex Antecefforibus suis, & in ea poſſeſſione à Sereniffimis Regibus Confœderatione Regni intercedente confirmati ſunt, nec tibi ejus rei nomine rationes reddere tenentur. Nunquam degenerarunt Torunenses à vera Ecclesia Catholica, vel teste Athanasio in ſuo Symbolo, qui omnes Catholicos eſſe afferit, qui Symbolum iſtud vera fide amplectuntur: Cui Torunenses, excludis vestrī Traditionum humanarum infinitis plauftris, in ſolidum aſtipulantur, niſi forte tu Catholicos eos tantum eſſe velis, qui vestrā Jesuiticā hærefin exocſulantur, quod videris velle, cùm inter Catholicos vel iſpi diuortium faciat, quosdam veros & religiosę Jesuiticę conſcientię, quosdam Politicos & frigidos Catholicos appellando. Verendum, ne per vos id accidat Ecclesiæ, quod dici ſolet, Religio peperit Superftitionem, Superftitio opes, & filia devoravit Matrem. Noli, Jesuita, minitari Torunensibus: ipſe nescis, quid tibi ſeruſ vefper vehat, & quam diu tu cum tuis Sociis in Regno Poloniae ſis pedem fixurus.

Inquis ulterius, Quod ad Jesuitas attinet, falſum eſt, eos domibus aut templis eorum inhiare, aut inde ditiores effeçtos eſſe, & unam tantum domum ab illis emtam eſſe, cuius fructus Torunenses per decennium percepiffe fingis. Ecce, ab eo tempore, quo hæc ſcripſisti, altera jam vobis domus aeeſſit: quid in posterum futurum? Tu tamen clamias, Unam, unam tantum domum à Jesuitis poſſideri. Domus illius, cuius nomine Proceſſum iſtituisti, medietatem emtionis, alteram medietatem donationis titulo vobis vindicasti, quæ donatio cùm eſſet inofficioſa, præteritiq; eſſent proximi Cognati, contra Ius Culmense, & illi tum inofficioſam donationem, tum & inscriptionem vestrā in alieno foro factam impugnarent, accedit, ut vos cum hæredibus litem ſitio ingressi: Nihilominus odium erga Civitatem ita vos excœcat, ut contra apertam veritatem non erubefcatis Torunensibus imputare, ac fi illi domus iſtius controverſa poſſeſſores fuerint, & fructus illius perceperint. Ex hoc putido mendacio tuo, Jesuita, facile eſt de cæteris tuis fucatis coloribus judicare.

Quintum Orationis tue PUNCTUM concer-
nit Monasteria Dominicanorum & S. Brigittæ apud Gedanenses.
Negas quicquam in Monasterio Dominicanorum Vos attentasse.
Plus mihi fidei faciunt unæ Literæ communi nomine trium Civita-
tum Prussiæ ad Comitia Regni scriptæ, quæ tuæ centum negativaæ.
Cætera, quæ de Carnifice narras, nugæ sunt, cùm istæ ades à Roma-
no-Catholicis ibidem pro Carnifice fundatae sint. De Brigittano
Monasterio mirum quòd Jesuitæ tam sollicitè agant, & consortium
Monialium appetant: quo calore ducti, ipsi viderint. Sed bo-
ni isti Patres hoc in consideratione non habent, Viros honestos non
tantum culpâ, sed etiam suspicione culpe, vacare deberet. At
quis non male suspicaretur de Jesuitis cum Monialibus liberè in uno
eodemq; Monasterio conversantibus? Etsi enim Canonistæ hoc no-
bis persuadere volunt, Monachum fæminam amplexantem & oscu-
lantem hoc facere animo benedicendi, tamen præsumptionem ejusmo-
di hodie vix Romano-Catholico persuaderem. Memini quidem
me legisse, Ordinem Brigittanum fundatum esse tam pro Monachis
quæ pro Monialibus, concessumq; illis esse conjunctim in uno Mo-
nasterio vivere, interjectis tamen parietibus, ut congregati nullo mo-
do posseint. At vos, Jesuitæ, absq; distincto pariete cum Monia-
libus conversari cœpistis Gedani. Periculosam hanc esse Sexu-
um commixtionem vel Fis Canonicum in c. diffinimus 18. q. 2.
& c. mulieres. & ibi gloss. de Judic. in 6. testatur. Quocirca,
ut vel sufficioneæ à quasi sanctitate vestra, quorum natura à Mulie-
ribus ita abhorret, ut pavimentum etiam, in quo mulier stetit in
Collegio vestro, pollutum esse arbitremini, ac propterea scopis illud
actutum per scoparium vestrum Jesuitam purgare consueveritis, re-
moveantur, recte fecerunt Gedanenses, quod rem mali exempli in Ci-
vitatem Gedanensem introducere vobis non permiserint.

Multa mihi, Senatores Equitesq; Poloni, prætermittenda sunt.
Quis enim de talium hominum attentatis commodè dicere aut dignè
conqueri posse? Et ego, ut satisiatæ vestram evitem, multò brevi-
us dicere cogor, quæ aut rei magnitudo, aut istorum hominum in-
solentia postulat.

Quod

Quod de Elbingensibus adducitur, nolo illis pluribus persuadere, ut sibi à vobis Jesuitis careant, cùm ipsi vel exemplo Toru-
nensum edocti vestras artes optimè calleant, & ex cuius cerebro
Processus illis intententur, jamdudum subficerint.

Crimina, quorum tui Ordinis homines Decretis
Judicatum supremorum subselliorum convicti, ac propterea ex Veneto-
rum Repub. & ex Gallis relegati sunt, Ordini tuo objici, video
tibi bilem & stomachum movere, quæ conaris quidem ex animis Le-
ctorum eximere, sed frustrà. Venetiis, inquis, pulsí non
sunt Jesuitæ, sed sua sponte cesserunt. Plus enim apud Je-
suitas valuit Religio, Ecclesiastica disciplina, PONTIFI-
CIS IMPERIUM, quam aut commoda sua aut favor illius
Urbis. Ecquis non miretur, Jesuitas uno tantum in loco, pu-
ta Venetiis, CHRISTI doctrinam, qui ab eo loco, ubi Apostoli
gratæ personæ non fuerint, eos etiam pulvere à calceis excusso rece-
dere jubet, imitatos esse, singulari quadam ecstasi impulsos? cùm a-
liâs canum naturam extra Venetas induerint; ut in eam culinam,
à qua semel remoti, viciſſim oculos suos convertant, ejusdemq; pos-
sessionem ingredi meditentur, nec cessent, donec bonam offam carnis
ex illa arripiant. Si sponte egesi Venetiis, cur Bona illorum
confiscata? Annon Veneti omnibus in Dominio suo consistentibus,
qui alio sedes & tabulas suas sponte transferre cogitant, permittunt,
ut Jure Gentium possessiones suas vendant, distrahabant, & loco pos-
sessionum pecunias ad se recipient: Non puto, quenquam Venetæ
Reipublicæ hanc iniquitatem asscripturum. Quis itaq; non vi-
det, Jesuitas non sponte cessisse Venetiis, sed relegatos, cum Bona
ipsorum confiscata sint: quæ pœna tantum in Reos alicujus insignis
Criminis statui consuevit. Credo quidem, Venetos misisse ad Je-
suitas, illisq; persuadere conatos esse, ne se loco moverent, Civitateq;
excederent: Sed qua lege & conditione adjecta? Hoc Jesuita si-
lentio involvit. Antiqua fuit Veneti Lex, lata Anno 1337.
Ne in Urbe Veneta Templa, Monasteria, Hospitalia & alia ejusmo-
di loca sine licentia Ducus & Senatus Veneti edificarentur: hæc Lex

confirmata fuit Anno 1515. & renovata 1561. eò quod Novitates varias sub praetextu Collegii, Confraternitatis, Societatis aut Congregationis induci, publicamq; securitatem damno & periculo, ob ingentes fabricas loco non satis opportuno extrectas, subjici animadverterent. In hujus Legis perpetua observantia fuerunt Veneti, nec unquam à Pontificibus, præterquam à Paulo V. ex insti-
tuto vestro, eo nomine impediti. Deinde antiquissima fuit Lex Venetis, Anno 1333. lata, Ne cui Ecclesiæ in Urbe & Ducatu Venetiarum Bona immobilia donentur, aut testamento relinquatur ita, ut in perpetuum ea obtineat: Quod si quæ relicta essent, ea intra certum terminum vendantur, precium autem Ecclesiæ relinquatur; quæ Lex Anno 1536. in hanc formam ita stabilita est, Ne quis Bona immobilia Ecclesiæ relinquat, nisi ad biennium, intra quod tempus vendi debeant: Quod si ab Ecclesiasticis factum non fuerit, Magistratui ad hoc deputato vendendi cura incumbat: quæ Lex Anno 1602. repetita fuit. Ratio hujus Legis æ-
quissima. Cœpit enim Senatus jam ante trecentos annos ani-
madvertere, quantopere Ecclesiastici Bonis immobilibus & Reditibus
acquirendis inhiarent: Idcirco ne familie gravi damno afficeren-
tur, publici reditus & vires Reipub. decrescerent, deficiencibus facul-
tatibus etiam paulatim numerus Civium diminueretur: è diverso
autem numerus Ecclesiasticorum, qui ab omnibus oneribus Reipubli-
cæ exempti esse volunt, major fieret, & Bona ipsorum indies auge-
rentur, quæ & ipsa ab omni onere Reipublicæ exempta esse volunt,
accidit, ut hæc Constitutio jam à trecentis annis in perpetua fuerit
observantia. Hæc Pontifici quoq; Paulo V. procul omni du-
bio ex impulsu Jesuitarum, quam piscaturæ suæ, non hominum sed
facultatum, non esse accommodatam intellexerunt, accepta non fuit.
Tertium, quod inter Venetos & Pontificem Romanum vertebatur,
controversie punctum erat, de Jurisdictione Venetorum contra Cle-
ricos in gravissimis delictis, quæ statum & tranquillitatem Reipu-
blicæ turbarunt, & majorem, quam pœnarum Ecclesiasticarum, co-
ercitionem requirerunt, ab ipsa fundatione Urbis usurpatâ, nec un-
quam

quam in dubium vocatâ. Has Leges Clerici in ditione Venetæ approbarunt: Jesuitæ verò, qui omnia Regna, tam in Spiritualibus quàm in Secularibus, Papæ Romano D E O suo in Terris subjicere conantur, Statum & Jurisdictionem Venetæ Reipublicæ impugnarunt, Pontificisq; Romani authoritate ad eam rem abusi sunt. Credo itaq; Senatum Venetum rogasse Jesuitas, ut in Urbe manarent, sed ea conditione & lege, ne Leges & Constitutiones antiquissimas & Jurisdictionem Venetæ Reipublicæ turbarent, sed easdem cum cæteris Clericis approbarent. Quod cùm illi, oleum igni suffudentes, facere recusarent, non jam liberè excesserunt Urbe, sed excedere juſi sunt ut turbatores pacis publicæ, confiscatis omnibus ipsorum bonis, eò quòd non religionem sed regionem, non Ecclesiasticam disciplinam sed ejusdem laxitatem & scelerum impunitatem (secundum doctrinam Marianæ Jesuitæ lib. I. cap. 10. de Rege & Regis institut. ubi in eum sensum inquit: Præstat scelera impunita relinqui, quàm ex Sacrato Ordine aliquem supplicio, quamvis merito, affici) non Status Venetorum conservationem, sed Pontificis omnis juris & æquitatis expers imperium, amplificare conati sint. Satis fuisse illos, si qua sede sedebant, sedere, & litem inter Pontificem & Venetos, quæ nihilominus, non habitâ Jesuitarum ratione, sopita fuit, eventui committere, quàm polypragmosynes sue pœnam perpetuam luere.

Sed, inquis, fingamus, illos per vim exactos esse. Certè, quod Jesuitis objicitur, videmus Apostolis ipsis accidisse. Alia fuit ejectionis Apostolorum ratio, alia Vestri. Si vellem Vos cum Apostolis comparare, daretur mihi amplissimus campus vestram, ab Apostolis degenerem, naturam vivis coloribus de pingendi: sed quia ex præmissis facile vestrum ingenium colligere paratum es, nolo esse prolixior. Cur vos Apostolicum exemplum non imitamini Torunii, sed Venetiis tantum? Quamvis enim Torunii ex Domo Parochiali remoti fueritis, ita tamen pulvis Torunensis calceis vestris adhaesit, ut non tam eum excutere, dicto Salvatoris nostri inobedientes, quàm Torunenses ipsos ejicere cordivo-

bis esset, si vires valerent. Satis mihi est, quod concederis, fes-
sita, non patere vobis in eam Urbem redditum. Num pro-
pecrea, quod minas adiecerint Veneti, si Civitatem Jesuitae desererent,
fore, ut in eam deinceps receptum non haberent? Nugas refers.
Ipsa enim desertio non est causa exclusionis vestrae, sed quod vide-
rint Veneti, Rempublicam ipsorum, vobis Turbatoribus ibidem con-
sistentibus, pacatam esse non posse. Hæc de Venetiis.

In Galliam vos cum summa gloria restitutos esse gloriamini.
Perinde Vobis accidit, ut Nobili cuidam in Germania, cui, da-
mnato ad pœnam laquei, Princeps ejus pœnae gratiam fecit, ita tamen,
ut laqueum, quo ad usq[ue] vivaret, Collo suo suspensum haberet, quem
ille serico involutum gestabat. Sic Jesuitæ iusisti sunt ob Crimi-
na Pyramidi Parisiensi insculpta excedere finibus Gallie, sub pœna
Criminis læsa Majestatis. Verba Decreti Parlamenti Parisien-
sis hæc sunt: Statuit eadem Curia, ut Presbyteri & Studio-
si Collegii Claræmontani, & reliqui omnes, qui se ejusdem
esse Societatis profitentur, tanquam corruptores Juventu-
tis, publicæ tranquillitatis perturbatores, Regis hostes &
Regni, Urbe Parisianâ intra tres dies post præsentis Arre-
sti significationem excedant, ut & aliis Urbibus & locis,
ubi eorum habentur Collegia, & quindecim post diebus
toto Regno, sub comminatione, Si ibidem post id tempo-
ris deprehensi fuerint, futurum esse, ut puniantur tanquam
Facinorosi & Rei ejusdem Criminis læsa Majestatis, omnia-
que ipsorum Bona tum mobilia tum immobilia operibus
piis applicabuntur, & quomodo ab ipsa Curia fuerit con-
stitutum. Præterea inhibet omnibus Regis subditis, ne
Studiosos in prædictæ Societatis Collegia, quæ extra Re-
gnum sunt, immittant, ut ibidem instituantur, sub pari pœ-
na Criminis læsa Majestatis. Cassatumne est unquam De-
cretum hoc Parlamenti, Nullo modo. Criminis enim, cuius
convicti sunt vestri Ordinis homines, Nota in Actis Parlamenti ad-
huc hæcer. Itane restituti estis in integrum, ut Crimen à vobis
commis-

commissum, & Pœna in vestrum Ordinem decretâ sic penitus aboli-
ta? Hoc si mihi ex Altis Parlamenti Parisiensis ostenderis, per-
suasum mihi esse patiar. Admissi estis in Galiam, Cur? &
Quomodo? Caussam ipsam Rex Henricus IIII. signifi-
cavit Duci de Sulli dissuadenti vestrâ in Galliam receptionem, in
hunc modum respondens, Quomodo de vitâ meâ securitate mihi ali-
âs cavyere poteris? Sed quam longè deceptus fuerit in hac sua opi-
nione, & quam fallax ista fuerit ratio, eventus testatur, Cùm eti-
amnum vestri Ordinis homines ejus Parricidii nomine suspectos ha-
beant omnes, qui in Gallia Regi & Regno benè cupière, quam su-
spicionem augent Theses Guinardi Jesuitæ, quarum suprà facta es-
mentio, quæ afferebant, Universam familiam Bourboniam tollendam
esse. Vos quidem removere vultis à vestri Ordinis homini-
bus hanc suspicionem, eò quòd Rex Henricus IIII. nihil quicquam
ejusmodi de Ordine vestro cogitarit, sed magnâ benevolentâ Eundem
complexus fuerit: verùm alii prægnantiores habent ejus rei caussas,
cur de Vobis male suspicentur. Agrè enim talis Regis expediti-
onem Juliacensem, quam Parricidio hoc interruptam fore existima-
batis. Quinimò vestræ Sectæ homines in Apologia pro Joanne Ca-
stello & Patribus Societatis vestræ, cuius suprà feci mentionem, sub-
ficto Constantini cuiusdam de Verona nomine editâ, violentam hanc
mortem jam antea Regi Henrico IIII. prædixerunt, quòd hæc
fortuna Regis, ictum Castelli evadentis, non tam sit conservatio
eiusdem, quam dilatio ad commodiorem occasionem. Rancorem
etiam, ob expulsionem vestrî, non planè in animis vestris exolevisse,
nisi vindex illius intercederet, saniores exestimant; cuius rancoris
zelo, cùm cæteri Clerici omnes funus Regis deducerent, vos soli do-
mi affixi subselliis vestris hærebatis: Egregium sanè gratitudinis
in Regem Henricum ob benemerita in vestrum Ordinem collata e-
xemplum! Imò ipsem Regicida Franciscus Ravaillac fassus
es, sibi Conciones, quibus Dominica ADVENTUS & in Diebus Car-
nifirivii vestri Socii debacchati sunt in Regem, hujus facinoris perpe-
trandi ansam dedisse; seque in Confessione sua Jesuitæ Aubigny-

revelasse, quod magnum aliquod facinus attentaturus esset, eidemq;
culerum, quo Regis cor transfixit, in quo Cordis & Crucis signa in-
sculpta fuere, ostendisse: qui Jesuita cum eo nomine ad examen vo-
caretur, respondit; Sibi hoc donum divinitus datum esse, ut sta-
tim atq; à Confessione discederet, omnium, que in Confessione acta
sunt, oblivisceretur. Scilicet si credere fas est. O labilem
memoriam, ubi de salute Regis & Regni agitur! que si Jesuitæ
Aubigny cordi fuisse, cur in continentis posse Confessionem, prius
quam Confessionis Regicide, & Cultri ab eodem exhibiti, obliviscer-
etur, Regi scelus tam enorme non revelavit? aut ad minimum e-
undem, ut sibi caveret, non monuit? Sic erat in fatis Jesuiticis
conclusum, Moriendum esse Regi. Videatur Fidelis Admo-
nitio ad Assessores Parlamenti Parisiensis scripta, & Gallico-
Parisii, ac Germanico idiomate Hanoviæ impressa, que plura &
specialiora argumenta hujus Regicidii, hominibus Jesuitici Ordinis
imputati, allegat.

Quomodo autem in Galliam admissi? Tacite, sine ul-
la publica restitutione, per conniventiam Regis, metu Parricidio-
rum vestro Ordini non infrequentium, contranitente Parlamento,
sine ulla publici criminis penaq; ejusdem abolitione. Colu-
mna, cui vestra Ensomia insculpta erant, sublata non est testis in-
nocentiae vestrae: propterea enim remota est, quod Rex HENRI-
CUS IIII. spem de vobis vite emendatioris conceperat: Ita quip-
pe affabré Columnam remotam esse audio, ut, nisi ab ingenio ve-
stro discesseritis, cum additamento vestrarum laudum, omnibus suis
partibus integrè sibi constans, iterum erigi queat. Nolite itaq; de ve-
stri restitutione admodum gloriari, cum ea parum vobis sit honorifica.

Quid in Anglia commiseritis, res Sole est illustrior: testan-
tur Acta Publica: testatur Clementis York, Reinhardi William,
Pataki Cullenii, ad Parricidium Reginæ Elisabethæ à Jesuita Hol-
lio persuasorum, conspiratio: testatur Lopezii Medici, ad propi-
nandum eidem Reginæ venenum conducti, scelus: testatur Guilielmi
Parrii à Benedicto Palmio Jesuita Venetiis ad cædem ejusdem
Regine

Reginæ incitati, & à Jesuitis Lugdunensibus itemq; à Jesuita Hannibale Codretto in hoc genere sceleris confirmati instrutus animus: Testatur Eduardi S quirre, de quo suprà natione Angli, à Jesuita Richardo Walpot excitata perfidia, quem ipsem et Je-suita Walpot, eò quod, propter longam interpostram moram, Squir-ram à Religione Jesuicæ defecisse & animum mutasse suspicaretur, postea per alium Anglum, ex carcere Inquisitionis dimissum, Regi-nae prodi curavit, quamvis ille nec religionem nec animum mutarit, sed cum prima vice Essexii sedile inungendo veneni illius expe-riamentum ficeret, nil proficeret, commodiorem Ephippii Reginæ & Sedili Essexii veneno inungendorum occasionem expectari: Te-statur Campiani Jesuitæ Epistola ad Consiliarios Reginæ Angliae scripta, & Anno 1583. Treveris excusâ, quæ Vos ejusmodi conspi-rationum contra Regnum Anglie nefario fudere in vicem colligatos esse convincit, ubi sic inquit Campianus: Velim sciatis, quod ad Societatem nostram attinet, omnes nos, qui per totum Orbem longè latèque diffusi sumus, quorum est continua successio & magnus numerus, Sanctum Fœdus iniisse, nec quamdiu vel unus nostrum supererit, studium & consilia nostra de salute vestra (id est, Religionis & Regni vestri ever-sione) intermissuros; Jampridem inita ratio est & inchoatum certamen: nulla vis, nullus Anglorum impetus supe-rabit: Testatur pulvis tormentarius Palatio Regio suppositus: Testantur Confessata Jesuitarum, eo nomine ad mortem damnatorum, & aliorum hujus Criminis sociorum: Imò testantur ipsius Garne-ti Provincialis Jesuitarum in Anglia Literæ manu ipsius Domini-nica Ramis Palmarum scriptæ, & ab eodem recognitæ, quæ inter-epte fuerunt, quarum hac fuit Inscriptio: Ad dilectissimos Patres & Fratres: quibus ipsi graviter succentibus, quod pro-diitionem sibi innotuisse confessus esset, ita respondit: Nam quid facerem? Primò accusabant me reliqui omnes conjurati: Secundò, Catisbejus (conjurationis pulverariae autor principa-lis) usus semper apud eos fuerat autoritate mea, qua addu-

xit penè omnes, ut benè sentirent de negotio: quo factum,
ut ad unum omnes Me haberent pro Reo. Tertiò, Duo
quidam Corycæ inaudierant Me cum Oldekorno collo-
quentem, atq; tota de re apud eum differentem. Quid
ad Objecta singula responsurus essem? Quartò, Literæ
etiam à Me Aurantiarum succo scriptæ ad D. Annam ne-
scio quomodo in illorum manus pervenerant, quibus sen-
tentiam meam non obscurè confessus sum. Plura,

si libet, ex eādem Epistola Garneti, quæ in Archivo Regis An-
gliaæ asservatur, descripta benignus Lector in Tortura Torti le-
gere, & quæ de hac ipsa materia ab Isaaco Casaubono ad Frontonem
Ducæum scripta sunt, cognoscere poterit.

Taliū Criminum nullius Minister Euangelicus unquam con-
victus fuit. Ostende Jesuita, à Ministro Euangelico, vel ipsius
impulso Papam Romanum vel Principem ullum interfectum esse:
Ostende, Euangelicos hanc, quam Vos foretis, de occidendis Regi-
bus doctrinam tractare. Euangelium nostrum aīs scrire sanguinem.
Convincent te falsitatis Comitia Regni, in quibus Euan-
gelici nil nisi pacem inter dissidentes de Religione cupiunt & siti-
unt, nisi Tu fortè Euangelicis vicio vertas, quod vestrum Ordinem
execrentur, eumq; pro fœtu Sathanæ agnoscant.

Ex Hungaria Vos pulsos esse ipsemē fateris. De caussa
nolo admodum scrupulosè inquirere. Cū res vestræ gestæ paulò ante
recensitæ, propter quas ex aliis Regnis & Ducatibus exclusi fueri-
tis, tacitè mihi magnum caussarum cumulum ob oculos repræsentent.

Sed Colophonem imponam Orationi meæ, in qua
ostensum est, quæ ad Conventus Regni à Torunensibus scripta sunt,
vera fuisse, nec alio nomine, quam ut veritas omnibus innotesceret,
eo delata esse.

Vestrarum nunc est partium, Senatores & Equi-
tes Regni Poloniæ Illustriissimi & generosissimi, ad æquilibrium ra-
tionis vestræ revocare, annon satis prægnantes caussas habuerint
Torunenses ad Vos, Custodes Legum publicarum, querelas suas defe-
rendū

rendi: Quippe cùm ea, quæ à Serenissimis Regibus accepta ad se
quasi per manus Antecessorum suorum transmissa sunt, sibi à novis
homini bus omniq; periculosa novitatis authoribus per fas & nefas
violari animadverterent. Nullam gentem sub Sole ita tena-
cem esse suorum Privilegiorum ac Libertatum esse video, atq; Nobis-
simum Gentem Reipublicæ Polonæ, quæ ob aureæ libertatis titu-
lum ejusdemq; studium multis aliis est anterenda; Neq; solùm in
eo occupatam esse, anteacti temporis memoria testatur, ut Nobilita-
ti suæ Prærogatiæ & Libertates integræ constent, verum etiam, ut
Civitates Regno Poloniæ in viscerata sua utancurfruantur libertate.
Non possum itaq; mibi persuadere, vos passuros esse, ut Jesuiticæ libi-
dini Prævilegia Torunensium expenantur, quorum hactenus à sesqui-
centum annis, cum fasces Regni Poloniæ cum cæteris Prusia incolis re-
cognoscere capissent, in Serenissimos Reges constantem & integrum si-
dem, in Senatum & Equites Regni observantiam perpetuam, in æquales
indefessum gratificandi studium abundè cognovistis: Quamvis ob-
tredationes Jesuitarum, quibus secundum doctrinam Marianæ ni-
bil est familiarius in ore, lingua, & mente, quam illud — Do-
lus an virtus, quis in hoste requirat? aliud quid vobis de To-
runensibus, eo quod Jesuiticæ factionis non sint, alias verò Roma-
no-Catholicis plus quam fraterno vinculo addictissimi, persuadere co-
nentur. Quod autem Jesuitæ crepant, Torunenses tempore ad
alia Negotia destinato, dignitateq; vestra abusos esse, non existimo,
eo nomine Torunenses apud Vos vel levem offensunculam contraxis-
se, Cùm in aliis negotiis non ita prægnantibus vestrum erga se bene-
volum animum sapientissime intellexerint.

Sed quis te, Jesuita, credat mentis esse compotem,
quod propter hanc Torunensem in deferendis suis querelis non com-
modè, prout tibi videtur, arreptam occasionem, tu eos appelles hostes
Patriæ, inimicos Pacis, Turbatores otii, pestes ac ruinas hujus Re-
gni? Das sine mente sonum, nec, quis sit hostis Patriæ, pestisq; Re-
gni, vel per insomnium expendisse mibi videris. Hi tituli Vobis
Jesuitis in Pyramide Parisiensi ascripti sunt, non propter aliquam

impunitatem agendi ea, quæ vobis cōmodo & iusui esse poterant, sed propter Parricidia Regum, seditiones & hæreticas vestras doctrinas, turbationem pacis publicæ & hostilitatem in Regem & Regnum actu ipso cōmissam. Vides, Sycophanta, hos titulos tibi tuoꝝ Ordini solidius competere. Non enim in more positum esꝫ vobis, Regibus supplicare, sed eosdem jugulare, n̄ vestris, discretorum scilicet & gravium viorum, annuant Consiliis. At quis Torunenses, nisi rationis sit expers, propterea his titulis ornet, quod, cum Vos Senatores Equitesq; patentiissimè Literas legi audieritis, nec quisquam ex vobis vel levissimam offensæ alicujus significationem verbis vel gestu præ se tulerit, Jesuitis modus ille procedendi, Tempore quasi minimè opportuno, iniquus esse videatur? Ostendis, bone Vir, te bile acri suffusum impotentiam animi laborare, & non ratione sed affectibus regi. Quidni autem Torunenses suas Calamitates ad Conventus Regni deferrent, pacemq; sibi publicam restitui peterent, cum & illi in Pace Reipublicæ communi restituenda omnibus viribus desudarint, & aliquot millia Florenorum eam ad rem contulerint? E diverso Jesuitæ in Prussia vix ac ne vix quidem tantum in commune subfidium contulerint, quantum vel uni militi solvendo sufficerit.

Judicio itaq; vestro subjicio, utrius partis petitum sit æquius? Torunenses hoc precibus suis intendunt, ut Jesuitæ antiqua Iura Patronatus salva & integra Civitati relinquant, Contrarium cum Reverendissimo Episcopo & Venerabili Capitulo in vim perpetuitatis initum ne violent, in alienas possessiones se non intrudant, ex Domo Parochiali, quæ sedes esꝫ Plebani, Plebanum ne ejiciant, sed Eisdem possessionem restituant, Scholam Civitatis hæreditariam Civitati vel Plebano, cui precariò cessa esꝫ, abscedant, domos Civiles in præjudicium & oppressionem Civitatis ne emant, ut emtas Civibus revendant, Magistratum pro Concionibus conviciis ne proscindant, nec personalia trahent; Seminarium in perniciem Civitatis ne erigant, eoꝝ, unde digressi sunt, ut revertantur. Ediverso autem Jesuitæ in petitis suis hoc implicitè petunt, nimirum, ut Torunenses Domum Parochialem & Templum, Scholamq; Civita-

tis hereditariam, Ordini Jesuitarum incorporata esse patiantur, loco Parochi Vicarium Jesuiticum pro Parocho agnoscant. Eadem omnes fructus Ecclesiae communicent, Iuri suo Patronatus in perpetuum renuncient, dominium suum super Schola hereditarium Jesuitis resignent, Scholam in præjudicium Civitatis erigi sinant, in Civitate Collegium velut Arcem quandam à Jesuitis, ad oppressionem ejusdem coemtis ab illis prius adibus, fundari non prohibeant, facinorosos in Carceres, quibus in Gallia & Anglia etiam Jesuitamancipati sunt, ob scelera non compingant, Jurisdictione sua contra Scholarres Jesitarum non utantur, & omnia Jura sua in gratiam Jesuitarum flocci pendant.

Considerate, quæso, Senatores Equitesq; Poloni, annon hæc Jesuitarum petita, quæ contra Leges, bonam fidem, publicam honestatem, bona fidei contractus, Iura Dominii & Patronatus, Jurisdictionemque Civitatis suscipiuntur, ab omni æquitate sint alienissima? Totus mihi persuadeo, Vos in partes Jesitarum non inclinaturos. Nam, proh dolor! Estne æquum, Jesuitas alienis sedibus inhibare, eaq;, quæ ad ipsos non pertinent, contra Fundatorum mentem, quibus ne per febrim quidem Jesitarum Secta in mentem venit, ad se per fas & nefas rapere? Nonne summa est iniquitas, Parochiam Torunensem in aliam faciem nescio cuius, etiam Romano-Catholice exose, Fraternitatis & Societatis converti, uno quasi ictu Privilegiis, Jurisdictione, paceq; publica, Civitati Torunensi amputatis? Cogitate quæso, quomodo Torunenses in prima quasi acie conflictus cum Crucigeris collocati rem Poloniae serio & cum magno zelo eggerint, ita ut Literis, quibus Prussia excusso Crucigerorum jugo obedientiam Magistrò Ordinis resignavit, nomine omnium Civitatum, manum Sigillumq; suum adjicere non dubitarint? Quantos belli motus per annos tredecim Vobis totiq; Reipublicæ Polonæ bono Illi sustinuerint? Quibus quid aliud Respublica ob benemerita concepsit, nisi Privilegia & Jura, ut hanc bene dotatam Sponsam, Prussiam scilicet, ad se alliceret, & in fide conservaret. Iustum itaq; & quum est, ut, cum Torunenses à pristina Antecessorum & Majo-

rum suorum fidelitate erga Serenissimos Reges & Regnum Poloniæ
nil discesserint, penes Iura sua custodiantur. Agitur de Sa-
crae Regiae Majestatis authoritate, cuius manu & Sigillo Regni Iu-
ra ipsorum obsignata; agitur de fide vestra & Antecessorum vestro-
rum, qui incliti eorundem nominis & honorum heredes in eo quoq;
genere virtutis illis successisti, ut eos, quos Antecessores vestri in u-
nionem suam, salvis eorundem Iuribus & Privilegiis, receperunt,
defendaris.

Si Torunenses patiemini Jesuiticæ libidini exposi-
tos esse, quid, per Deum! sanctum, quid inviolatum erit? quid de
vestris Iuribus speratis fore? Serpent hi Cancri Hispanici latius.
Annon meministis, Illos in Comitiis Regni sèpè pro concionibus,
quid in vestro statu Regni, quem ego, utpote ad faciem Romanæ
Reipublicæ quamproximè accedentem, mirari satis non possum, car-
panct & immutatum velint, non signis, non gestibus, sed voce publi-
ca ostendisse? Nunciorum scilicet Terrestrium in rebus ad Rem-
publicam spectantibus nullas esse partes, nec hunc Ordinem ita du-
dum introductum esse.

Quorsum hæ Conciones tendant, vel me-
tacente potestis colligere.

Annon vel inter ipsos Romano-Ca-
tholicos factiones serunt? quosdam Genuinos Catholicos, quosdam
Politicos vocando; Illos sic propterea nuncupantes, non quòd Ca-
tholicè vivant, sed quòd Jesuiticæ factioni sint addicti: Hos au-
tem, quòd ad pacem Reipublicæ potius, quàm ad prædictas Jesuita-
rum artes, sint attenti, licet Catholicissimè vivant, ut Hæreticos
quosdam aversantur.

Quæ omnia cùm injusta sint, quid restat
amplius, quàm ut tandem pro ea, quâ in Republica fungimini, au-
thoritate, Torunenses Patrocinio vestro sublevetis, ut illis, Jesuiticis
fluctibus satis superq; agitatiss, in portu pacis & tranquillitatis pu-
blicæ, salvis suis Iuribus & Privilegiis, salvag; sua Iurisdictione,
esse liceat: Ultq; Jesuite cum Seminario suo aliò, ubi pro arbitrio
res suas disponere illis integrum sit, transferantur. Quodipsum
Veneri Reipublicæ suæ multum dignitatis salutisq; perpetuæ attulis-
se exemplo suo experti sunt. Erigite Vos, Senatores Equitesq;
Poloni, & ne quid per Jesuitas Respublica damni patiatur, adver-
tite,

rite, nec committite, ut in hoc Regno Torunensium erga Sacram
Regiam Majestatem fides, erga Vos perpetua observantia neglecta;
Jesuitarum autem insolentia, & insatiabilis habendi cupiditas defen-
sa videatur: Quin potius date operam, ut innocentia Torunensium
roties exagitata, in fide, constantia, integritate & autoritate vestra
sarta testaꝝ conquiescat. Quod ipsum Torunenses magni bene-
ficii in se collati loco absꝝ omni dubio habebunt, & pro vestra salu-
te etiam sanguinis sui profusione grati animi memoriam testabuntur.

Tu autem Jesuita, imposterum cessa conviciis tuis im-
petere & calumniosè traducere Torunenses. Nam si
dixeris, quæ vis, audies, quæ non vis.

D I X I.

AD POLONIAM.

Pulsos à Gallis Socios Polonia JESU
Excipe: quid dubitas? aurea secla ferunt.
Aurea secla ferunt: tamen aurea secla ferentes
Respuis? heu! sanum num tibi, quæso, caput?

POLONIA respondet.

Aurea mortiferi promittunt secla SUITÆ:
Ne crede tu Sicarius.
Aurea promittunt verbis: re ferrea præstant:
Illa auferunt, hæc afferunt.

SEQUITUR REPROTESTATIO ORDINUM Civitatis Torunensis.

Aetum coram Judicio Scabinali Civili Radzinensi
si Die Sexta Mensis Augusti Anno DOMINI Mil-
lesimo, Sexcentesimo, Decimo Quarto.

Coram Officio Aetisq; præsentibus Radzinensibus
personaliter comparuit honoratus Simon Schulf Secretarius Civi-
tatis Thorunensis, ibidemq; vi Plenipotentiæ, à Spectabili Senatu
totaq; Communitate Thorunensi Ipsi in forma Authentica con-
cessæ, contra Admodum Reverendum Dominum Fabianum Kono-
packi Decanum Posnaniensem, Gnesiensem, Warmiensem, Culm-
ensemq; Canonicum, & ejusdem Episcopatus ac Pomesanæ, Se-
de Culmensi vacante, Administratorem, ac Venerabilem Dn. Joannem
Prævantium Præpositum Lubaviensem, Parochum Thorunen-
sem, suo & aliorum Sacerdotum nomine Culmsæ coram Civili Of-
ficio feriâ tertiatâ post DOMINI cam Secundam Trinitatis Anne
DOMINI Millesimo, Sexcentesimo, Decimo Quarto protestan-
tes, omnium Ordinum Civitatis Thorunensis nomine reprotosta-
tus est in hanc, quæ in scriptis concepta fuit, de verbo ad verbum
formam & tenorem.

Si prefati Protestantes altius rem, cuius nomine pro-
testati sunt, penes animum suum penderasset, persuadere sibi non
possunt Ordines Civitatis Thorunensis, illos tam facile ejusmodi acer-
bæ, injuriosæ, ac stylo & zelo immaturo Jesuitico absq; omni dubio
conceptæ, Protestationi assensum suum accommodaturos, & Ordines
hujus Civitatis, quasi libertatum & immunitatum Ecclesiasticarum
ac Religionis Romano-Catholicae violatores, Sacrae Regiae Majestatis
Domini nostri Clementissimi contemtores, ac conspirationis cuiusdam
auctiores, temerè ac præcipitanter accusaturos fuisse; Cum Or-
dines Civitatis Thorunensis ab ejusmodi, ne dicant criminibus, ve-
rū etiam à titulis semper alienissimi fuerint, & hoc unicè egerint,
ut inter disidentes de Religione pax & tranquillitas publica sarta
rectaq; custodiatur, Sacrae Regiae Majestatis autoritas inviolata con-
seruetur, Catholice Romane Religioni addictis aqua tūm amicitia
tūm justitia præstetur, eorundemq; Religionis exerciticia ne mini-
mum

mum turbulentur. Quodipsum Catholicorum omnes, qui re-
petitam anteacti temporis memoriam, prinsquam Novatores rerum hanc
Civitatem ingressi essent, status hujus Civitatis sibi concii sunt, non
inviti restabuntur. Tunc enim Catholicis Romanis, & refor-
matæ Religioni addictis intra metas suas se continentibus, pietatem
que excentibus, pax utringq; ita fuit custodita, ut utraq; pars sub
una quasi Religione vixisse videretur. At nunc novum & in-
quietum hominum genus, quod in hac Civitate fundationem nullam
habet, & ad quod nec Templum, nec Domus Parochialis, nec Scho-
la jure aliquo pertinet, sed tacitis cuniculis in hac Civitatem irre-
psit, Templum D. Joannis, Aedes Parochiales, Scholam Civitatis hæ-
reditariam, mala fide occupare; aliasq; privatorum aedes ad se per-
trahere (de qua occupatione solenniter iterum atq; iterum protestan-
tur Ordines) Scholaribus suis ad licentiam dispositis, materie litis
perpetuae excitandæ ergo, abutit; & insuper in forum publicum Ci-
vitatis cum Scholarium suorum turmâ, quos, ut Civitati huic agrè
facerent, magno numero ad se pelleixerunt, egressum, novas ibidem
& anteā inusitatas Cæmonias exercere non dubitat; Quinimò in
tantum pax publica Civitatis Thorunensis per hos Novatores eorum
demque Scholares lassa est, ut Scholaribus eorum cum Civium filiis
congredi, prætergredientes in plateis lapidibus petere, in Civium æ-
des lapides jacere, Civium filios, si quos solos in campis patentibus
animadvertisunt, vi aggredi, pedibus conculcare, & aliis innumeris
modis injurias Civium cumulare, ludus & jocus illis esse putetur.
Nec mirum, cum ipsorum Præceptores ejusdem sint genii & ingenii.
Nihil enim pro concionibus, ac in publicis Scriptis suis suppositio
nomine editis aliud faciunt, quam ut odio contra hanc Civitatem
inflati Magistratum hujus Civitatis totamq; Communilitatem convi-
cuis proscindant, diris devoveant, contra-Cives itineribus se commit-
tentes Nobilitatem concident, classicum canant perpetuum, omnesq;
ad perniciem extremam Civitati & Civibus, quos partim Sectarios
& Hereticos, partim paganos appellant, inferendam conclament, nil
discendentes à suæ Sectæ hominum ingenio, in toto Orbe Christiano

plus quam satis decantato, qui tam ex Gallis quam Venetis pulsi, non odio Religionis Romanae, (cui Venetia & Senatus Populusque Parisiensis addictissimi sunt) sed ob Parricidium Regis, & ob exercitatas turbas & seditiones, illic Pyramidi Parisiensi, velut monumento publico rerum ab illis praeclarè scilicet gestarum, extruenda occasionem dederunt, hic autem ne restitutionem quidem in integrum etiamnum merentur.

Hæc Jesuitarum insolentia, & Scholarium eorundem licentia efficit, ut, cum pro festo Marci, in quo nulla unquam Procescio in hac Civitate habita fuit, forum etiam publicum Civitatis Jesuite, insalutato Magistratu, sui juris facerent; Ordines Civitatis, Nobilium liberorum securitati cautum prospectumque esse voluntates, Deputatis suis committerent facultatem cum Jesuitis & Viceplebano conferendi de Processionibus in foro publico Civitatis, tanquam re novâ, intermittendis, ne exacerbatis per Concessiones Jesuitarum, & Scholarium eorundem hactenus impunitam licentiam, Civium animis, in foro publico, ubi major tum fuit hominum peregrinorum ad mercatum, pro festo Ascensionis Unici Salvatoris nostri celebratum, confluentum copia, datâ aliquâ à Scholaribus Jesuiticis tumultus ansâ, Nobilium liberi, de quorum salute maximè hic laborabatur, in discrimen aliquod collocarentur, maximè cum Jesuita, quibus nihil, ne transversum quidem digitum, Juris in hac Civitate recognoscunt Ordines, harum Processionum instituendarum rationem sibi arrogârint, & non tam pietatis causâ, quam ad ostentationem & pompam, signis quasi ad aciem dispositis, pro festo Marci proprio ausu Scholarium suorum turmam in forum Civitatis publicum eduxerint, adeò ut saniores Catholici Romani, quibus hoc institutum, in hoc præsertim loco, ubi diversarum linguarum & nationum homines vivunt, displicuit, faterentur, cum tanto appara- tu & pompa pro festo Marci ne Romæ quidem Processiones celebrari solere. Novitas hæc movit Ordines, ut pacis & tranquillitatis communis causâ non imperiosè, ut falsò afferitur, sed amicè tam Jesuitas quam Viceplebanum monerent, ut à Processionibus in foro publico celebrari non conuetis sibi temperarent: Qui à Jesuitis

tis, quasi nullum Interesse circa Processionem præ se ferentibus, aliud tamen agentibus, ut ex ipso Processionis Actu apparuit, à qua alias, eò quod infimi Ordinis sint, ne alios Ordines in Processione antecedere teneantur, abstinere consueverunt, hoc responsi acceperunt, Processionis instituenda rationem non ad se, verùm ad Plebani officium, spectare: VicePlebanus autem, se in absentia Plebani Processiones intermittere non posse declaravit: quæ Processiones non erant Plebano prohibitæ, ut allegant Protestantes, modò non foro Civitatis publico, & Jesuitarum eorundemq; Scholarium comitatu ad eam Processionem peragendam uteretur, sed intra metas & terminos suos consuetos se contineret, ne Jesuitæ de fundatione Collegii & Seminarii sui quoquo modo gloriari possent. Fides data nomine Viceplebani, quòd feriā secundā post DOMINICAM R OGATIONUM ad Monasterium Divi Nicolai extra forum Processionem suam expedire voluerit; verùm aliter, quam convenerat, factum. Jesuitæ enim velut Antesignani cum suis Scholaribus longo ordine præcedentes, licet Processiones sui instituti esse negarent, hoc facto ostenderunt, pacem publicam parum sibi cordi curaq; esse. Cùm itaq; Ordines Civitatis animadverterent, officii sui plurimum interesse, ut pax publica omnibus, qui hujus Civitatis finibus continentur, ex aequo conservetur, utq; tumultui omnis ansa præcideretur, forum publicum feriā quartā post DOMINICAM R OGATIONUM catena præcludi jusserrunt.

Verùm Jesuita materiam litis quærentes Parochi persuaserunt, ut ad catenam usq; progressus ibidem, paratus ad caussam accedens, Protestationem in scriptis conceptam sub dio legeret: eoq; ipso ostendit, se Consilia hæc turbulentia jam anteà cum Jesuitis præmeditatum esse: Expedita Protestatione reversus est in Templum pacificè. Hic Protestantes, ut Civitatem hanc aggravent, multas sibi illatas esse injurias sinistrè conqueruntur. Negatur enim circa catenam dispositos fuisse homines ad tumultum & seditionem faciendam paratos & instrutos: quinimò contrarium notoriè constat, Jesuitas Scholarès suos, quid faciendum sibi putarent, jam bene instruxisse, quod eventus testabatur.

Scholarès enim Jesuitarum

carum catenam serâ conclusam vi avellere conati sunt, Cives male-dictis impetrerunt, paganos, canes, appellarunt, ac Patroni quoque Jesuitarum se plantam pedum suorum in sanguine Civium polluturos minati sunt, atq; ita concitatâ in se injuriosis verbis multitudine, quantum in ipsis fuit, tumultus ansæ satis dederunt. Verum ea fuit Civium ibidem præsentium moderatio, ut nec lapidum jactu quis peritus sit, nec istæ acclamations Biy, Zabiy &c. intercesserint, nec quisquam vel minimum laesus sit, sed catenam removere volentes repressi sunt, & verba commutata sunt pro verbis, ut in ejusmodi conviciorum casibus in promiscua mutitudine fieri consuevit.

Ficta sunt hac omnia ad invidiam Civitatis, quod vel ipsa progressio Plebani ad catenam usq; ejusdemque cum cante ad Templum redeuntis regressus pacificus testatum facit. Quinimò Magistratus Civitatis, se ad instantiam Parochi & aliorum, quibus injuriam illatam esse justè queri posse, justitiam administratores obtulerunt. Si causæ sua bonitate niterentur Plebanus cum Jesu: si causam quiritandi haberent, cur, repudiata Justitiâ ipsis oblata, ad hunc potius sinistre deferendi modum descenderunt? & quod magis es, cur Magistratum & Ordines hujus Civitatis tumultus autores proclamant, cuius postmodum in quosdam tantum privatos culpam rejiciunt, cuiususq; ipsi autores extiterunt, quemq; ipsi, moniti à nonnullis sanioribus Catholicis Romanis, ut à foro publico, in quo illis Altaria nulla posita essent, abstinerent, præcavere potuerunt sed noluerunt? Hoc est unicum, quod Jesuitas tantopere exagitat, quod, cum Templum D. Joannis, Aedes Parochiales & Scholam de facto occupare in animum suum induxerint, etiam in foro publico signa sua de facto erigere illis non concedatur: Quo cur Histriones & Ursorum ductores uiri non prohibeantur, in promtu ratio es, quod illi longè tolerabiliores sint, utpote cum histriones permisso Magistratus Iudos suos exerceant, palaco spectantium se accommodent, præfatiq; ductores ursos suos frenent ac domitos reddant: Hi autem Novatores rerum turbas excitant; aliena ad se rapiant; Magistratus autoritatem, sibi omnia pro arbitrio licere existimantes, susq; deß ferant; Civium

Civium honestam existimationem, pro concessionibus, & publicis scriptis, suggillent; in perniciem Civitatis frena disciplinæ Scholaribus suis laxent; Civitatemq; cum omni ejusdem statu, pace ac tranquillitate, quantum in ipsis es, penitus eversam cupiant.

Quæ cùm ita se habeant, ac Ordines hujus Civitatis Processiones Parocho non impediuerint, modo intra metas suas & terminos consuetos cum Scholaribus suis, exclusis Jesuitis eorundemq; Scholiarum turmâ, Processiones suas expediisset, & contra Jesuitarum maleficiadas persuasiones, à foro publico sibi temperasset; idque factum fuerit bonâ intentione, ut Sacrae Regiae Majestati Domino nostro Clementissimo Civitas, hisce præsertim turbulentis temporibus, in pace & tranquillitate conservaretur, & ne Nobilitatis liberi in discrimen aliquod adducerentur: Reprotestantur Ordines Civitatis Thorunensis, inique sibi imputari per præfatos Protestantes, quasi contra divinas & humanas, Imperatorias & Regni hujus Leges ac Constitutiones pacem publicam violarint, ac præter pacem publicam violatam, etiam injuriâ Parochum & ipsius Sacerdotes Vicarios ac alios affecerint, necnon alia, quæ in Protestatione fictè inserta sunt, designarint: Quinimò omnia in Protestatione comprehensa contra Parochum Thorunensem, ejusdemque complices Jesuitas, retorquent: Do quo ictorum acq iterum solenniter protestantur, reservantes sibi Ius & salvam Actionem contra hujusmodi injuriosam Protestationem suo loco & tempore in foro fori experiundi, in forma Juris plenissima.

• 66 (*) 66

